P. Monshier

ura kraefter



E. WASSENBERGI
Embricensis
FLORUS GERMANICUS
EDITIO NOVA
& Septima,
Ab ipso Authore recognita
ad Annum 1640 au-
cta et emendata.
Cum Gratia et Priv.
S. M.

DANTISCI
Apud Andream Hünefeldt. 1642.

Eremum Camaldulens. S. Patris
Romualdi ex legato M. D.
Feliciani de Smogorzow Wysonicz
Capnei Mazovien. ppe Varsaviam

SERENISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ PRINCIPI

CECILIÆ RENATÆ AUSTRIACÆ,

POLONIARUM SUECIÆQUE REGINÆ

CAROLI ARCHIDUCIS OPTI[MI]
&
INVICTISSIMORUM IMPERATORU[M]
FERDINANDORUM
II. & III.

SORORI, FILIÆ, NEPTI,

FERDINANDI, I. FRATRIS
CAROLI V. IMPERATORIS

ABNEPTI.

DNÆ ac PRINCIPI SUÆ CLEMENTISSIMÆ

SERENISSIMA POTENTISSIMA REGINA

QUi nuper solium Regis Septentrionalium maximi venarabar, nunc ad Thronum tuum humilis Wassenbergius accedo: Et

Ad Varsav[iam] Erem Camaldul.

Et qui ante cum gloriosissimo VLADISLAO tuo, Boristhenem, Tiram, Tanain, & incognitam Occidenti Volgam subjugans, ultra Alexandri Aras, Cingulum Terræ, Anum auream, ad Glacialem usque Oceanum, & finem Persiæ mare Caspium, omnes Orientis angulos victorijs peragrabam, quin et, exercitibus sub jugum missis, & Ottomannicæ ambitioni limite præscripto, eidem gloriosissimo Consorti tuo, quasi Oriente victo, panegyrica victoriarum facie applaudebam: nunc in Augustissimam Domum tuam Austriacam, Septentrionis & Occidentis fulmina, tonitrua, grandines, & omne Mavortiæ tempestatis genus irritum, sed & saxa velut, sine vulnere, circa galeas crepitantia, repræsento. Omnes enim qui hucusque à viginti & amplius annis, in hanc rupem,

omni

omni ſua potentia impegere, fracti omnes cum naufragio reſiluerunt, Et ille, qui felicisſimus fuerat, & è devictis urbibus ſibimet labyrinthum fecerat, cum ad medium veniſſet, propriæ ambitionis æſtu, ſeu minotauro, devoratus eſt. Qui ſuperſunt, & integri videntur, jam olim per aliorum latera pugnantes, & aliorum cladibus devicti, reliquijs alienæ ſtragis ad modicum præſumunt, & eodem igne in exitium feruntur. Stat interim, & victrix, inter ruinas hoſtium, perſeverat Aquila, & laurea coronatum ferrum, non laſſis unguibus roſtroque premit. Hanc ergo Aquilam, Regina maxima, hanc rupem, hanc invictam Domus Auſtriacæ fortunam, & univerſam, à primo Divi Parentis Imperiali gradu, bellorum faciem, in hac tabella brevi, repræſento, offero, dedicoque. Nec aver-

bore, quæ à Divo Patre & Invictissimo Fratre, Imperatoribus, FERDINANDIS gesta, jam, Regina, te respiciunt, ut primum in lucem veniunt.

Sacræ Reginalis Tuæ Majestatis

Humillimus servus

Everhardus Wassenbergius Embricensis.

VLADISLAUS IV. DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernihoviæq; nec non Suecorum, Gothorum, Wandalorumque hæreditarius Rex.

Significamus præsentibus litteris Nostris quorum interest universis & singulis. Quia nos commendatam habentes Spectabilis ac eruditi viri Everhardi Wassenbergij styli elegantiam, scribendique facilitatem, & peritiam magna rerum experientia & eruditione comparatam, quam nuper libro gestorum nostrorum in lucem edito comprobavit, præstandam illi gratiam Nostram putavimus, annuendoque petitioni ipsius, ad intercessionem Consiliariorum nostrorum, inhibendum esse duximus, inhibemusque præsentium litterarum nostrarum vigore, ne quis opera ipsius, non tantum quæ edidit & promulgavit, sed etiam quæ in posterum editurus, ac promulgaturus est, absque consensu Authoris, intra decursum viginti annorum, in quacunque littera, lingua, & forma, inprimere præsumat, vel alibi impressa, in Regno & Provincijs nobis subjectis, venum exponere audeat, sub pœna confiscationis librorum, & mille insuper aureorum Ungaricalium per Instigatorem nostrum, jure nostro Regio emonendorum: cujus medietas Fisco nostro, medietas vero Authori memorato cedere debebit. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni nostri communiri mandavimus. Datum Varsaviæ die XXI. Mensis Martij, Anno Domini M. DC. XLI. Regnorum nostrorum Poloniæ & Sueciæ IX.

Vladislaus Rex.

Locus Sigilli.

Iacobus Maximilianus Fredro
Regens Cancellariæ Minoris

Clarißimo Viro ac Domino

EVERHARDO WASSENBERGIO
Embricensi.

Felices FERNANDI ambo victricibus armis,
Imperio parto tot grandibus usq; triumphis;
At mage felices quod Wassenbergius *illa*
Æterno calamo commendes posteritati.
Grandia grandiloquus Romano prælegis ore,
Et Majestates æquas gravitate loquendi.
Scilicet in magnis rebus ne degener Author
Vilius Imprio quicquam sceptroque loquaris.

C. ORNELIUS CANTERUS Amstelo-
Batavus, S.T.L. & insignis
Ecclesiæ collegiatæ S. Cuniberti, Coloniæ Agrippinæ
Canonicus.

AD

AD LECTOREM.

NOn erat animus, humane lector, hunc Florum Germanicum, nisi constituta in Imperio Romano pace, continuare: sed tum & sævissimi Martis pertinacia, tum etiam quorundam in hoc opusculum præsumptio, consilium mutaverũt. Sunt enim qui nonnulla, insigni temeritate, & ex mera ignorantia, depravarũt; audacter enim dico, non intellexisse quæ variaverunt. Sunt etiam qui augere præsumẽtes, alterius operi manum admoverunt; & quamvis unus, de bello Gallico, non ineleganter, tamen omnes, ordine, tempore, Scopo, imo & stylo dixerim, diversi. Itaq; nunc, quicquid depravatum alibi, restituo, quicquid additum, & scopo, ordine, tempore, & stylo alienum rejicio, & ex meo completam historiam, adusq; annum 1642. *formo. Rogo autem, ne porro aliquis in alieno seminet, aut corrumpat: & hic agellus, ad quem legitima via veni, colendus mihi relinquatur. Sunt alias campi integri, nondum vomere & aratro alicujus fracti, nec cujusquã adhuc semine corrupti, in quibus magni illô stylo & ingenio non abhorrentes viri, utiliter & cum fructu laborabunt. Est & Balthasar Henckelius, qui ut Gustavum Adol-*

phum (cui ego quidem non detraxi) Crassum aliquem seu Cræsum faceret, in unũ epitheton hujus opusculi indignatur. Quid ita? Putasne ergo, mi Henckeli, qui alienis urbibus, Regnis, Imperiis, imo & Orbi imminebat & insidiabatur, non esuriisse? Putasne qui tot millibus Germaniam inundabat, pecuniis aliquando non indiguisse, aut easdem non anhelasse, vel nihil etiam quam exercitium suæ religionis, aut, quæ jactabatur vulgo, libertatem Principum, cum dispendio sui sanguinis quæsijsse? Erat, mihi crede, non minus hac in parte, quam in aliis, Gustavus Adolphus antiquæ Gothorum gloriæ restaurator. Sed tibi, circa captivitates tuas divulgandas occupato (ne aut aliquis eas nesciat, aut post tot, è zelo indiscreto, damna nonnihil subleveris) nova circa Holmiam Peruvia emergit, & in Suecia Potosiani montes surgunt; quin imo, si Diis placet, rupes sidunt, ut Palatia ædificentur. At Henckeli, quia hæc in somnio edidisti, & in caligine versaris, non lub cum larvis tuis amplius luctari, & ad Cymmerios te remitto. Hæc autem, humane lector, aliena immodestia & præsumptione, ultra meam mihi modestiam extorta, boni consule, & vale.

FLORI

FLORI GERMANICI
LIBER PRIMUS.
Introductio ad Bellum Bohemicum.

PAx in Germania erat, & univerſorum Principum animos, in una religione Concordia colligârat. At ubi Anno 1517. Lutherus & ſectæ cæperunt, paulatim de pace Germaniæ Diſcordia triumphavit. Mox Imperium enim in partes abiens, in ſuum ipſummet exitium armabatur. Et à Luthero Lutherani in Romano-Catholicos inſurgentes, eos prius Eccleſijs, inde reditibus, tandem & ditionibus ſuis exegêre. Quæ cum ordinario Imperij jure repeterentur, judiciū quoq; Cameræ abrogari voluerunt. Scilicet quo ſacrilegia, rapinæ, ſcelera, civitate donata, tute & latius vagarentur. Itaq;, negato nefas, à bellioſiſſima gente armis cōcurſum. Sed Lutherani, ut numero ſuperiores, ita cauſa & virtute impares, Anno 1547. & 8. non uno prælio fuſi:

Hæreſis in Germania cauſa belli.

Saxo & Landtgravius

gratus fuit: primarijs etiam ipsorum capitibus, Saxone & Landtgravio Hassiæ, à Romano Imperatore Carolo V. carceribus mancipatis. Quorum alter, lineæ Vinariensis, Electoratu, & plerisque ditionibus suis exutus.

Hassia capiuntur.

Inde tot retro comitijs quæsita pax, Passavij tandem inventa, & Anno 1555. in publicis, Augustæ Vindelicorum comitijs, confirmata & dilucidius explicata est. Scilicet ut in Imperio tantum Romano-Catholici, & Augustanæ confessionis tolerarentur. Ut Ecclesiastica bona, prout pars utraq; tempore transactionis Passaviensis habuerat, pacificè possideret. Ne porro quisquam alterius bonis, Ecclesijs, aut fortunæ, immineret.

Transactio passaviens.

Prospectum hisce comitijs in posterum Germaniæ videbatur. Et erat revera, si in fide semel data Ordines perseverassent. Sed mox, sub Augustanæ confessionis titulo, sectæ innumeræ vermiculabantur: quæ plurimum invicem diffidentes, in unum Catholicorum exitiũ omnes conveniebant. Itaq; (per summum nefas) rupta pace, vetera redierunt: nec suæ jam terræ limitibus contenti, vicinos quoq; Episcopatus invasere. Quicũ, ut

Violatur.

Confœderatio in Catholicos.

ut ante, ordinaria via repeterentur, Cameræ Spirensis jura, ab ijs, gravamina vocabantur. De quibus postea Comitijs Singulis incassum questi, malo facinori pessimum addiderunt, & Catholicos tota extirpare Germania constituêre. Et hoc quibus Authoribus! Quibus capitibus! Friderico Electore Palatino Rheni, Christiano Anhaltino principe, & Joachimo Ernesto Brandenburgico, cognomento Anspacensi: tribus purioris Calvinismi sectatoribus. Quibus tandem, Mauritius Landtgravius Hassiæ, Johannes Fredericus Wirtenbergæ Dux, & Georgius Fredericus Marchio Durlacenus, accessêre.

Sed quoniam non leve momentum, ad rem bene gerendam, videbatur, Urbes Imperiales, per omnes imperij provincias variè sparsas, cõfœderationi adjungere, multorum senatorum empta proditio est: quarundam autem casu est facta accessio.

Rudolphus Imperator fulmen Imperiale in civitatem Donawertensem contorserat. In causa erat Pacis ejusdem Religionis, ante hac passavij initæ (cujus transgressionem succendentes sibi invicem Imperatores, omni *Vrbes Imperiales confœderationi accedunt.*

occaſione ſectarijs improperabant) violatio. Pupugit hoc primarias Imperij Urbes, Argentoratũ, Ulmam, Noribergam, eidem omnino culpæ obnoxias: quæ deinde, ſuo exemplo, Wormatiam, Spiram, Weiſſenburgum ad Rhenum, Landaviam, Nordlingam, Hallam Suevorum, Heilbronnam, Memmingam, Campidonam, Sweinfurtum, Wintshemium, & Weiſſenburgum Noricum, eodem ſecum malo involverunt.

Elector Saxo fruſtra tentatur.

Invitatus etiam Elector Saxo, ob oculos poſita paritate cauſæ: Miſnenſem enim, Merſeburgenſẽ, & Naumburgenſem, Epiſcopatus, à prædeceſſoribus ſuis occupatos. Sed prudenter ille ſprevit homines Tireſiâ cæciores: nec tam privatim, quam publicè in comitijs, confæderationem illam deteſtatus, fidus Imperatori ſuo ſtetit.

Confæderati occaſionẽ bellandi quærũt.

Illi autem, animis jam armisq; paratis, unam bellandi occaſionem præſtolabantur: & hæc, per diſſidium Rudolphi Imperatoris & Mathiæ fratrum, offerre ſe videbatur. Cum illi enim in apertum quaſi bellum erupiſſent, Anhaltinus, hujus tam exitioſæ confœderationis vicari⁹, A° 1609.

cum

cum Camerario suo, Pragæ, apud Rudolphum Cæsarem, communiũ gravaminum prætextu, inoperto capite, multis verborũ spiculis grassabatur. Et insolentius, Anno 1610. per litteras Hallâ Suevorum missas, in minas erupit. Sed tantum in minas. Aliter enim tunc visum Superis: pravoq; conatui occasionem, in aliquot adhuc annos, subduxêre.

Magnis interim ignibus confæderatio fovebatur; donec tandem, per Bohemorum rebellionem, in apertum bellum ebulliјt, & per totam deinde conspersa Germaniam, totam adussit. *Per Bohemos accipiunt.*

BELLUM BOHEMICUM.

BOhemi olim per Johannem Hussium, & Hieronymum Pragensem, in Hæresin nefandam tracti, cum eâ turbas ilico discordiasq; sumpserunt. Cum enim Hæresis ipsa, rebellio quædam in Ecclesiam legitimamq; Matrem sit, rebellionem in legitimos Principes jugiter secum vehit. Itaq; ab ipsis suis incunabulis, sub famoso suo Zisca & Podiebrachio, publicæ pacis turbatores, nunquam ad pristinæ concordiæ integritatem reversi *Potẽ ex quo Hæretici semper tumultuosi,*

sunt. Sed subinde, ut malè extincta incendia, ignem flammasq́; ostendêre. Donec tandem miserrime tota Bohemia conflagraret, & universam simul Europam fædè accenderet.

Templũ in Ecclesiastico solo moliuntur Anno 1611. Hussitæ ergo, ut in alijs locis, sic Brunaviæ sine consensu Abbatis, legitimi civitatis suæ Domini, ecclesiam, & in Ecclesiastico quidem solo, moliebantur. Displicuit, ut par erat, Præsuli, subditorum temeritas, & Mathiæ Imperatori, primum tum temporis Bohemici Regni regimen auspicanti, de insolentia querebatur. Imperator Brunavienses citavit, interim ædificationem inhibens, usq́; dum causa decideretur. *Imperatorẽ prohibentem contemnunt.* Illi suum Regem ne vel responso dignati, religionis suæ defensoribus rem omnem aperuere, & quoniam favere videbantur, quasi juberent, multo vehementius operi incubuerunt.

Erat quidem Abbati animus jus suum prosequi: sed quoniam Imperator, Imperij negotijs distentus, extra Bohemiam agebat, ferre patienter injuriam debuit, usq́; reverteretur. Quod non nisi Anno 1616. accidit, & tum Mathias Imperator, res Bohemici Regni curans, paulatim,

quoni-

quoniam prole carebat, de successore *Ferdinandus*
cogitare cæpit, & publica, in sequen- *II. Rex*
tem annum, Regni comitia, tribus *Bohemiæ*
ordinibus comparere jussis, indixit.
Obedienter illud à Bohemis factum: *Anno*
& Matthiâ Cæsare, totius Austriacæ *1617.*
Domus, ipsiusq; Alberti Belgarum *Men. Iun.*
Principis consensu, Ferdinandum
Archiducem Austriæ in filium adoptante, eum Regni hæredem legitimumq; successorem nominavit, & coronari petijt. Nullus erat qui resisteret, & ab universis Regni ordinibus, in publicis comitijs, in Regem susceptus, solita solennitate receptoque more, omnium applausu, in Regem coronatus est.

His expeditis, maximi momenti, negotijs, Præsulis Brunaviensis querelæ rursus audiebantur. Et quamvis *Templū destruitur.* Imperatori, inobedientiam Brunaviensium castigandi, occasio non deesset, publicæ tamen pacis ergo, literas Majestatis (sic appellant, quibus utriusq; Religionis indulta continentur) ipsos Hussitas inspicere jussit, ut, quoniam odiose Catholicos audiebant, à mutis judicarentur. Sed æque surdo canitur atq; Sectario. Quamvis ipsi, *solis Statibus Regni, nullis subditis*

ecclesias ædificare licitum esse, legerent, non tamen ideo quievere: sed claves ecclesiæ tradere jussi, in facjem restiterunt. Tum authores pertinaciæ carceribus mancipati ecclesiâ funditus dirutâ.

Bohemi conjurant. Hoc cum in absentia Imperatoris, tamen ipsius jussu, fieret, non amplius, ut alias, murmur, sed tumultus, & privatis in convēticulis cōjuratio.

Cæsar eos ad pacem hortatur, Male hoc habebat Mathiam Cæsarem, sed ipsum, quo minus in Regnū proficisceretur, debilitas, quo minus Ferdinandum mitteret, ejus in Hungariæ Regem electio, proclamatio, & mox, ubi Matthias Imperator convaluisset, futura coronatio impediebat. Tamen Cæsar litteras ad officiales præcipuos Regni misit: quibus, facinus repræhenderent, jussit: conventicula prohiberent: &, si quid esset quod minus placeret, sibi quererentur, indicarent; mox enim in Bohemiam venturum.

Cæsaris consiliarii se è fenestris deturbant. Faciunt illi, Cæsaris nomine, quod erat Imperatum. Sed nullatenus Hussitæ placati, in furias exarsere. Et sub principe suo, Matthia Comite Turriano, purioris Calvinismi sectatore, globo facto, arcem Pragensem, armamentarium,

mentarium, curiamq́; regiam occupant: inq́; conclave illud sacrosanctũ (quod cancellariam vocant) irrumpentes, officiales, quos reperere Cæsarios, Guilielmum flavatam Cameræ Bohemicæ præsidem, Jaroslaum Borzitam Regni Marescallum, & Philippum Fabricium Secretariũm, è fenestris altitudine amplius quadraginta cubitorum, crudeliter deturbant: quorum innocentiam ut DEUS miraculo comprobaret, chlamydatos licet gladiatosq́;, salvos tamen incolumesq́; servavit. Inde conscripto milite, abdicatis officiarijs Regijs, à subditis juramentum fidelitatis accipiunt, publica ergastula solvunt, captivosq; dimittunt. *Anno 1618. 25. Maij.*

Mox confæderati illi, supra in introductione mea tacti, Principes, confæderationum suarum hucusque fluctibus immersi, summam illam rerum tempestatem sentientes, in exitium Imperatoris, quasi signo datò, emerserunt. Canebat illis Christianus Princeps Anhaltinus, & Syrenem illam cæteri audiebãt, & sequebantur. Itaq́; ne, quod per iram cęperat, pænitẽtia resideret, Ernesto Mãsfeldio, cum millibus aliquot, in Bo- *Mansfeldius, à confæderatis in Bohemiam missus, rebellionem fovet.*

hemiam misso, seditionem foverunt, & in fide Regis perseverantia occupaverunt; omnium miserrime mutilata Pilsna ejusdem Mansfeldij crudelitate famosa.

Matthias Imper: moritur. Anno 1619. 20. Martij. Moritur interim, nulla relicta prole, Matthias Imperator. Succedit in Hungariæ & Bohemiæ Regnis Ferdinandus II. qui natura clemens ad leniora conversus, reis veniam, privilegia Regno, & officia Regni solis incolis obtulit, dummodo, positis armis, ad obsequia sua redirēt. Quid Bohemi? Confæderatorum auxilijs freti, spreta gratia, contrarium maluerunt. *Bohemi Ferdinandũ abdicant.* Quin immo, Ferdinandum Regem, in publicis Regni comitijs publicè susceptum, publicè coronatum, defuncto Matthia, abdicant, summo scelere per summum nefas.

Causas divulgant quare. Ut maximum hoc rebellionis crimen, ne crimen quoq; videretur, quandam defensionis larvam induerunt, legitimum Regem nullum agnoscentes. Unum Ferdinandum, qui sese venditet, Tyrannum, non Regem esse; utpotè non liberè electum, sed violenter intrusum, cum apud Bohemos, jus electionis liberæ, semper viguisset. Atq; hoc Georgij

Podiebrachij exemplo ſatis ſuperq́; confirmari. Culpata item comitiorum Regni integritas.

Hæc pluribus libellis vulgabantur, ſed à prudentioribus omnibus ridebantur; utpote qui ſcirent, Regnum Bohemiæ, ab octingentis retro Annis, non electivum, ſed, jure ſanguinis, hæreditarium fuiſſe. Unumq́; illũ Georgium Podiebrachium Huſſitam, per tumultum intruſum, quem hinc nec Sileſij, nec Moravi unquam pro rege agnoviſſent. *Diluuntur.*

Sed hæc Bohemi, etſi videre poterant, videre nolebant. Auctisq́; majorem in modum viribus, exercitu uno, Mansfeldio Duce, quicquid adhuc Auſtriacum in Bohemia, expugnabant; altero, ſub Turriano Comite, Auſtriam ipſam ingreſſi, Vinnam, & in ea Ferdinandũ ſimul, clauſerũt. *Viennam obſident.*

Et quale periculum erat, niſi periculo alio, Viennæ Fernandiq́; periculum Fortuna ſolviſſet? Carolus Longevallius Comes Buquojus (quem unum, rebus omnino nutantibus, quaſi Xantippũ, Albertus Belgarum Princeps, Ferdinando Patrueli ſuo ſubmiſerat) per ſemitam auream, ne ſine omine quoque veniret, Bohemiæ Re-

gnum invaserat. Hic Ernestum Mansfeldium, ad Nodelitziam in Bohemia nactus, subsidiarias Hohenloi cohortes frustra implorantem, acri certamine profligavit, & illo prælio, in illo Regno, Viennæ obsidionem solvit. Ab Austriæ enim primaria & Imperiali sede, ad Regiam Bohemiæ urbem, Pragam defendendam, Turrius revocabatur.

Mansfeldio cæso, obsidionẽ solvunt.

Ita Ferdinandus aliquanto liberior, ad comitia electoralia Francofurtum abijt. Ibi, miro fortunæ ludibrio, ijdem quoque, qui eum nec Bohemiæ Regem, adeoq; nec Electorem agnoverant, tamen Bohemiæ Regem & Electorem, ad Imperiale fastigium, voce, suffragio, sublimarunt; qui abhorruerant, sacramento solenni adoraverunt.

Ferdinandus II. Imperator eligitur 28 August;

Non movit, summa hæc, Bohemos, sui Regis dignitas: minus repetitæ pacificæ ipsius litteræ. Sed, velut illo fulgore, hac benignitate irritati, alium sibi Regem, totâ Germaniâ quærunt. A Saxone Bavaroq; contempti, à Friderico Palatino (uxore ejus Elysabetha, ex Regio sanguine, Regios spiritus dudum gerente) gratis amplexibus suscepti, in Bohemiam properatum

Bohemi Fredericum Palatinum in Regem eligũt, & coronant. 14 Nov.

peratum eſt. Et quem illegitime rebelles elegerant, illegitime, per ſummum nefas, coronaverunt.

Itaq; ad arma iterum neceſſario ventum, & tracta in partes tota propemodum Europa. Pro Palatino ſtabant Bohemi, Moravi, Sileſij, Luſatij, Tranſylvani, Auſtriaci ſuperiores, ac demum Hungari. Stabant, ſupra nominati Principes, Anhaltinus fax omnium, Johannes Fredericus Witenbergæ Dux, Mauritius Landtgravius Haſſiæ, Joachimus Erneſtus Marchio Anſpacenſis, & Georgius Fredericus Marchio Durlacenus. Stabant, cum pleriſq; civitatibus imperialibus & Anſeaticis, circuli Saxoniæ inferioris Principes. Ab exteris vero, Dani, Sueci, Scoti, Britanni, Batavi: Sollicitati Turcæ & Tartari. *Qui pro Palatino.*

Nec defuere ſui, Ferdinando Imperatori, fautores. Magno inprimis Reipublicæ Chriſtianæ bono, in fide Cæſari & Imperio debita, perſtitere Saxo & Bavarus. Adfuere, tam religione, quã cognatione tracti, Hiſpaniæ & Poloniæ Reges: cum Coſmo magno Etruriæ Duce, Albertus Auſtriacus Belgarum Princeps. Et, cum tam Eccleſiæ, quam Cæſaris res ageretur, *Qui pro Ferdinando.*

retur, cum Electoribus & Principibus Ecclesiasticis, adfuit Romanus Pontifex.

Belli Duces utriusq; partis. Illinc belli Ducibus, Anhaltino, Mansfeldio, Turnio, amplius triginta millibus, res gerebatur. Hinc Maximilianus Bavarus, &, cum Johanne Tzerclasio Tillio, Carolus Longevallius Comes Buquojus, egregij belli Duces, pari propemodum numero, præliabantur.

Initia Bohemis prospera. At initia, sicut & ante, Palatino Bohemisq; rebellibus, prosperiora fuere. Adeoq; & altera vice Turnius, Gabrielis Bethleni subsidijs confirmatus, Viennam revertebatur; non jam (ut jactaverat) cessurus, nisi, in sua metropoli, Imperatorem, & Austriam simul expugnasset. *Iterum Viennam obsident.* Sed in summo nunc erat, ac præcipitio, Palatino-Bohema felicitas; momento enim circumacta res est. Turnius *A Buquojo, reprimuntur.* quippe, ad pontem Viennensem, non una vice, Buquoi virtute repressus, in Bohemiam, voti irritus, cum clade & confusione recessit.

Ad Longelosam caeduntur. Ergo altera mox, ad Longelosam, in ipsa Bohemia, Bellonæ procella desævit. Aberat ibi à copijs suis, Pragæ negotijs impeditus, Ernestus Mansfel-

Mansfeldius. A Buquojo itaq; in insidias tractus ejus exercit⁹: submotisq; equitum turmis, peditatus delet⁹ est.

Levioribus deinde quibusdam Austriacorum secundis velitationibus adeo res Cæsaris promovebantur, ut de obsidenda Praga deliberaretur. Et factum erat, nisi ocius Princeps Anhaltinus, ad Egenburgum, Bohemicis Moravicisq; copijs, transsitus omnes interclusisset; officiarijs & militibus Pragæ oberrantibus, in castris, viginti quatuor horlarũ spatio, comparere, sub ingenti pœna, jussis. *Pragæ periculum.*

Tertia Bohemorum clades Sitsendorffensem vicum nobilitavit. Et hæc equestris pugna fuit: peditatus enim Bohemicus, prætextu cessantis stipendij, detrectabat imperium. Igitur, Buquojo iterum Duce, fusus equitatus: & cladem hanc, ipse adversarum partium Dux, Marescallus Baro Felsius, suo, & sexaginta amplius nobilium Præfectorũ sanguine, consignavit. Sed nec incruenta Austriacis victoria fuit. Flaminius equitum Magister occisus est, Hardeccius lethaliter vulneratus: & saucius ipse Buquoi equus, generosissimum victoremq; Dominum, non excussit, sed tuto deposuit. *Ad Sitsendorsensem vicum cadantur.*

Inde

Boquojus & Bavarus junguntur.

Inde conjuncti duo exercitus, duo magni Duces, Buquojus & Bavarus: ille Bohemicis, hic Austriacis victorijs clarus. Non alibi tam gratus belli Ducum conventus. Hærebat in mutuis alter alterius amplexibus, quum amborum corda religio, causa, & intentio, dudum unà colligasset.

Oppida expugnant.

In exitium hostium deinde divulsi, in singula, singuli, oppida convertebantur. Budna prudenter, ac tempestivè, Bavaro se submisit. Bragodizio vim experiri placuit: vim expertum est, & crudelius, in pertinatiores, à Buquojo sævitum. Pisceca, multo milite ferox, insolentius agebat. Coadunati ergo exercitus unum urgebant oppidum, quod, dum superbos serius ponit animos, ab indignabundo milite, per omnia cōpita, miserabili strage fædatur, & in crucem acti periuri nobiles. Claudere portas nulla, post Piscecam, civitas ausa fuit, sed obviæ omnes arbitrio se sui Regis permisere.

Cæterum circa oppida distineri, minus proficuum amplius videbatur. Placuit belli aleam prælio experiri, & si cederet, Palatinum ipsum Pragâ exigere. Patuit Bohemis consilium, nec ad repugnandum animus

mus defuit, nec mox, si placuisset, occasio. Siquidem ad Raconitiam, in mutuum accessere alteri alterorum aspectum, desertâq; Sylva, Bohemi, ad oppidum, castra communiverunt. Certatum ibi diebus aliquot, aut eminus tormentis, aut cominus velitationibus: in quarum una, suis accurrens Buquojus, strictim vulneratus est. *Buquoius vulneratur.*

Adveniunt interim, à Johanne Godefrido, Bambergensi ac Herbipolensi Episcopo, submissæ copiæ. Instructissimus octo millium erat exercitus, imposterum Austriacarum legionum nucleus. Proprium Franconiæ Ducum est, Ecclesiæ & Imperatori assistere: hujus speciale etiam lemma. *Una manu gladium, altera breviarium.* *Franconiæ Ducis subsidium Cæsarianis se jungit.*

Ejus itaq; subsidio firmati, cum præliandi copiam Bohemus non faceret, totis viribus in Pragam convertebantur. Sensit Anhaltinus, & mira statim velocitate, occupatis viarum compendijs, prævenit Austriacos. Tandemq; ad fatalem, ultimi certaminis, metam, Montem Album perventum est. Hic Bohemi, vallum fodere, castra communire, tormenta dispo- *Cæsariani Pragam movent.* *Et Bohemi.*

disponere alacres, & brevia quædam, mali imminentis, solatia meditari.

Damnū patiūtur. Aderant mox Cæsariani, cum ab ijsdem, præcedenti nocte, Gauchetio Duce, in Hungaros prospere fuisset pugnatum, trecentisq; trucidatis, mille equi abducti. Sed & duellum fuit inter illos, cum singulari certamine Baro Petersemius, primario Hungarorum Duce interfecto, spolia detraxit. Hæc arrha totius victoriæ fuit, territis adeo Hungaris, ut cum totis viribus dimicaretur, quasi ad tubæ sonitum fugerent.

Acies instruuntur. Eluxerat jam distinata prælio dies, & in ejus pugnæ casum instruebantur acies, in qua victoriæ præmium, futurum erat Romanum imperium.

Omina victoriæ. Nunquam autē, imminentis victoriæ, manifestiora omina. Nam & cuspis vexilli legionarij Guilielmi Verdugi, aliquamdiu ignea luce effulserat, atq; hinc in prima acie prælatum fuit. Et recte in diem, quo per Orbem terrarū Evangelium legebatur, *reddite, quæ sūt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*, præliū incidit. Dominicus deinde quidam pater Carmelita, vitæ morumque integritate clarus, certam cælotenus victoriam pollicebatur.

Hinc nunquam acrior, neq; alacrior, exercitus Cæſaris: ut, cum Bohemi, armis, viris, tormentis, & oportunitate loci, in ſubjectos, è ſuperioribus jugis, quaſi è cęlo in terrigenas, fulgura, tonitrua. globorumq; grandines jacularentur, firmati ipſi æquitate cauſæ, omni violentia potiore, transgrederentur quæ ſuperiora videbantur, & ſuper omnia eminentem faſtum, pedibus tandem, in profundam ignominiam, conculcarent. *Alacritas conſarianorum*

Primo, nec toto quidem impetu, fuſa Hungarorũ novem millia, multa ipſorum parte, ab inſequentibus Polonis, deleta. Hanc, fugientium Hungarorum, ſtragem, plurimarum cohortium ruina comitata eſt. Pertinacius ſeſe Anhaltinus, Hollachius, Turrius, cum ſuis legionibus, tuebantur. Ceſſere tamen ad extremum, & terrore latius dato, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. *Prælium ad Pragã. Anno 1620. 8. Nov.*

Felicem utcumq; in malis Fredericum Palatinum diceres, ſi eadem ipſum, quæ exercitũ ejus, fortuna traxiſſet. Sed ille, abſens in Regia urbe, infeliciſſimæ rei nuntium tremefactus audivit; ut, vix octo horarũ impetratis inducijs, Praga pulſus, Vratiſ- *Palatinus Praga fugit.*

laviam,

laviam, relicto diademate, cũ uxore gravida, fratre, liberis, per Silesiam, rheda fugeret: ut, cũ majori dedecore, multis annis superstes cladi suæ viveret: ut, multis Principibus, adeoq; socero suo gravis, à Britannia æquè ac Palatinatu exclusus, per provincias exul erraret, & suo tandem ipsius mærore consumeretur.

Cæsorũ numerus. Cæsorum, eo prælio, ac submersorum novem millia fuisse dicuntur. Tormenta decem majora, centum circiter militaria signa, in manus venerunt. Inter captivos plurimos, etjam principis Anhaltini primogenitus numerabatur. Non alia vero tam incruenta Victoria usi Austriaci: vix ducenti cecidere. Inter vulneratos autem Godefridus Henricus Comes Papenhemius, mire mutilatus. Qui, quis esset, interrogatus, vix nomen suum potens exprimere, à spoliantibus elevatur; & curatis tamen vulneribꝰ supervixit. Et hic est ille Papenhemius, qui in ruinam Suecorum & Hassiæ, de cadaveribus quasi resurrexit. *Papenhemius inter mortuos jacet.* Hæc victoria titubans Imperium firmavit, Pragam subdidit, & sequuta Pragam tota Bohemia. *Bohemia subjugatur.*

BEL-

BELLUM AUSTRIACUM primum.

Bohemici belli contagio ſuperiores traxit Auſtriacos : à Ferdinando enim Imperatore, animo & Religione, disjunctis, cum ſui ſimilibus, hæreticis & rebellibus Bohemis, de confæderatione facile convenit. Abdicati etiam magiſtratus, & de ſuo corpore & religione ſuffecti. Inſuper Sereniſſimi Belgarum Principis Alberti Auſtriaci hæreditario legitimoque dominio rebellio tegebatur. Hunc ſe hæredem & Dominum, non Ferdinandum agnoſcere. *Auſtriaci rebellant.*

Imperator è contra, jure donationis, legitimum ſe Dominum demonſtrare, & plenariam, ab eodem Alberto, juris ceſſionem, penes ſe eſſe : venirent, &, renunciato perjuro fæderi, juramentum fidelitatis præſtarent. *Ferdinandus eos ad pacem hortatur.*

Illi, contempto Cæſare, rebellionis ſceleri, licentiæ ſcelus addiderũt. Erneſtum Ludovicum Ducem Saxo-Lavenburgicum, prono Danubio, ad operam ſuam Imperatori offerendam, navigantem, ad Aſchaviam vicum, infruniti ruſtici, inſolenter truci- *Imperatorem contemnunt.*

Eorum insolentia. trucidant; & causa omnino detestanda. Scilicet, *lætarentur modo, hospites mox alios accepturos*, Ducem dixisse, à viliori vulgo, tanti viri capite plectebatur.

Hanc multiplicem eorum audaciam non diutius tulit Imperator; sed *Bavarus in Austriam.* hæreseos, rebellionis, contumaciæ, Licentiæq; damnatos, Maximiliano Bavaro debellãdos tradidit. Ille mox Austriam superiorem ingressus, adscitæ vesaniæ rebelles, supremum *Illam subigit. Anno 1620. 4. Aug.* admonuit. Dum armatus contemnitur, fusis rejectisq; primum (quæ, cæsis sylvis, vias intersepserant) lymphatis rusticorum turmis, primarias aliquot arces expugnavit. Mox Lintzium, rebellantium asylum, ingressus, universam, qua cis Anasum est, Austriam, Domino suo, Cæsari vendicavit.

Et sequuta ingens statim rerum *Authores rebellionis puniuntur.* mutatio: impio fœderi renunciatum est: præstitum Imperatori fidelitatis juramentum: restituti in integrum Catholici Magistratus: & postmodum, præcipui carceribus, bonis fisco addictis, mancipati turbatores. Deniq; hoc bellum ante finitum fuit, quam ad Pragam dimicaretur.

BEL-

BELLUM LUSATICUM.

Lusatiam eadem, quæ Bohemiam, ruina involvit: erat enim, ut legitimo jure Regno, ita & iniquo & impio fædere copulata. Hanc, Johanne Georgio Electore Saxonico, placuit debellari. Ille vicinam Provinciam potius legibus pacis, quam sanguine volens subjugare, injunctam, ab Imperatore, commissionem aperuit, Budissini conventum indixit, ut obedirent gratiosè monuit. *Lusatia cum Bohemis rebellat.* *Saxo etiam ad pacem disponit.*

Et peractum erat sine sanguine bellum, nisi Marchio Jagerndorffius, sex armatorum millibus, superatis subito mænijs, constitutos in armis cives dissipasset, & inchoatam cordium unitatem gladio divisisset. Ille Saxonis & Imperatoris legatos, cum Præside Provinciali congregatos Lusatiæ ordines, captivos abduxit. Urbem nongentorum militum Præsidio firmavit, & novum, à subditis, juramentum fidelitatis extorsit. *Jagerndorffius negotium dissipat.* *Anno 1620. 7. Sept.*

Ubi ergo de pace non convenit, signa cecinere. Et primum belli præmium, ipsum illud Budissinum fuit: quod, dum ferocius agit, vi tormentorum fœdissime laceratum, cum ho- *Saxo Budissinum expugnat,*

ſtem in ipſis mænium ruinis, & tantum non in urbe habet, victoris admiſit imperium.

Mox reliquã Luſatiam. Quum aliæ aliæq; urbes, Budiſſini moventur exemplo, Forſtia & Lubavia exaſperantur. Et Forſtia quidem, quod alias obſidione debuerat, interceptione ſuſtinuit, & elapſo, averſa urbis porta, equitatu, totus fere, in ultionem pertinaciæ, peditatus deletus eſt. Mitius cum Lubavia actum: tempeſtivius quippe, vim experta, ſe ſubmiſit, & præſidiarij clementer tutoq; dimiſſi.

Anno 1622. Sub initium Iunij. Sic utramq; Luſatiam, valido, ſed lento, Marte preſſam, cæſari quidem Saxo: Sed poſtea, egregia Imperatoris munificentia, utraque donatus, quaſi ſibi vendicavit.

BELLUM MORAVICUM.

Moravi cum Bohemis ſemiũt, MOravi non ut cæteri Bohemicæ coronæ ultro, ſed à Matthia Comite Turriano, armato, in ipſis Moraviæ viſceribus, exercitu, ad fæderis juramentum adacti ſunt. Sed adeo altas rebellio paulatim egit radices, ut non adacti, nec ultro tantum acceſſiiſſe, ſed faces bellorum fuiſſe viderentur.

In hoc nulli vicinorum Principum mandata, sed ab ipso Cæsaris Generali Buquojo expeditio sumpta est. Ille, paulo à vulnere firmior, legiones in Moraviam duxit, & tunc quidem legati obviam venere, exercitum ne porro promoveret, Moravos imperata facturos. Sed illi mox, Hungaricis partim subsidijs confirmati, partim comminationibus tracti, ad vomitum redierunt.

Boquojo se subijciunt. *Anno 1620. 12 Dec.* *Resiliunt.*

Buquojus itaq; armis, non ludificationibus, agendum ratus, Provinciam intrauit, Iglaviam expugnavit, Trebitiũ subegit, Znaimum in deditionem accepit, Brunnam & Olmitium, primarias totius ditionis urbes, sub jugum misit, & alia pleraq; oppida ad obedientiam compulit. Spætium vero, totius Moraviæ Præfectum, traditis Reza & Silersdorffio oppidis, ad obsequium provocavit.

Buquojus eos debellat.

Inde reliqua ad imperium reducẽda, ipsi Spætio (tantum, in gratiam recepto Duci, credebatur) commendata sunt. Ille mox, de impugnatore, propugnator, non segnius, quam erat imperatum, commissionem exequutus est. Ravispurgum & Honenavia, ultra suum Ducem rebellia op-

Maximè per Spætiũ.

pida, eundem excluserunt: nec ille moratus, vi resistentes, vi expugnavit. Et sic Moravia, tum Imperatoris, tum suis ipsa viribus, ad obsequium reducta est.

In gratiam recipiuntur. Anno 1621.

Sed quoniam pertinacius egerat, non conditionibus cum ea transactum, sed nudè jussa Cæsaris arbitrio stare. In gratiam tamen (innata quadam Ferdinandi Clementia) eodem Anno recepta est.

COMPOSITIO SILESICA.

Silesij ultro Bohemis accessere.

Silesij cum Moravis unius conditionis erant, nisi quod, nullis coacti viribus, ultro accesserant, & paulo, quam decuisset, ferventius, in Cæsarem & Catholicam Religionem, sub Iagerndorffio suo, rebellionis & hæreseos virus evomuissent. Sed omnium, ultronea eorum resipiscentia, & singulari benignitate Cæsaris, in æternum oblivio sequuta est.

Saxo Silesios ad pacem disponit.

Johannes Georgius Elector Saxo, utraque Lusatia Cæsari vendicata, victricium armorum fortunam ulterius statuerat experiri. Cum videret itaque vicinam sibi Silesiam, tot jam annis à legitimo Domino suo corde divulsam, aut lege, aut ferro, concor-

diam agitabat. Prius tamen litteras & monita in Silesiam quam arma immisit: Nec videbantur, Vratislaviæ congregati, Silesiæ Ordines, tantis bellorum sumptibus soli insufficientes, à salutaribus monitis abhorrere. Sed habebant suum, in suis ipsi visceribus Palatinum: qui suis se Silesijs porro non credens, acceptis sexaginta florenorum millibus, fuga perficiendæ rei occasionem reliquit. Ubi enim se sibi redditos vident, certa dubijs, pacem armis prætulerunt.

Itaque Carolo Frederico Munsterbergico Duce, splendido comitatu Dresdam misso, in hæc fere puncta convenit. Profundâ in æternum oblivione, delicta sepelirentur. Fœderibus renuntiatis, à Ferdinando supremo suo Duce, præstito prius fidelitatis juramento, in gratiam reciperentur. Tres auri milliones, in sumptuum belli sublevationem, Imperatori persolverent. Et restitutis in integrum Ecclesiasticis, Religionis permitteretur libertas. Sic Silesia, sic Provinciæ reliquæ, coronæ suæ: Sic corona Regi suo Imperatori restituta est.

Acceptant. Anno 1620.

Quibus conditionibus.

BELLUM PALATINATUS & cum Unitis Principibus.

Principes confœderati Palatinatum defendũt.

UT Palatino in Bohemia Cæsarem, sic Palatinum, Bohemiæ incubantem, in Palatinatu placuit debellare: Sed hic à Confœderatis illis Principibus (de quibus supra toties) Landgravio Hassiæ, Wirtembergæ Duce, Marchionibus, Anspacdensi, ac Durlaceno, tanquam clypeo tegebatur. Ita quippe inter illos convenerat, ut, cum Palatinus Bohemiam, ipsi Palatinatum tuerentur. Insuper Provincias non suas infestabat: Transitus Cæsarianis, Bohemiam versus, impediebant: &, succedentib⁹ porro ex voto rebus, ut qui faces bellorum fuerant, fore insolentes Imperatori hostes videbantur.

Hos Maximilianus Bavarus, adnitentibus maxime Gallorum Legatis, Ulmæ ad pacem semel compulerat: nempe exercitus ab illa Provincia abducerentur, nulli damnum inferretur, nullius in Imperio Provinciæ infestarentur.

Spinola Palatinatum invadit

Sed hæc omnia, inopinatus Ambrosij Spinolæ in Palatinatum adventus, discussit. Hic patrimonium ipsum

psum Frederici aggressus, fortunatas illas ad Rhenum terras, uno velut diluvio occupabat. Adeoque, frustra obnitentibus confœderatis Principibus; quinquaginta amplius oppida, paucis mensibus, in potestatem suam redegit.

Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore Cælestium. Siquidem è Batavia, Henricus Fredericus, frater Mauritij, cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole, quadraginta equitum turmis, in imperium ascendebant. Et quale periculum erat, si ille, pro numero, fuisset præliatus? Sed ille mox, parum pro Frederico Palatino constans, in Bataviam suam regressus, Principes illos subsidijs, se ipsum gloria defraudavit. *Henricus Nassovius in Palatinatum venit & deserit.*

Cernens ergo Mauritius Landtgravius Hassiæ arma non succedere, pacem respexit: quam & à Spinola & Imperatore æquam impetravit. Sequebantur Landtgravium Imperiales Urbes, & has cæteri confœderati Principes. Scilicet, ut constituto tempore, tot jam annis adultam, Confœderationem dissolverent. Palatino, nec pecunia, nec milite, quocunque modo, subvenirent. Miles eo- *Uniti Principes cum Spinola transigunt. Anno 1621.*

rum à Palatinatu abduceretur. Spinola in eadem Provincia armis non progrederetur. Sic Palatinatus inferior Hiſpanicum imperium ſubijt, nondum excuſſit.

BELLUM TRANSYLVAnicum primum.

SIc ad Occidentem, per Spinolam, Imperator: multo atrocius, & multipliciter magis, & ab Oriente ſævitum. Nihil hac plaga infeſtius, mixtis invicem, in exitium Chriſtianorũ, Bulgarorum, Turcarum, & Barbaricis Tartarorum copijs. Omni igitur tractu, à Turcia, Tranſylvania, & Hungaria, violentus hoſtis erupit.

Gabriel Bethlenus Battorium occidit, & Trãſylvaniam occupat Anno 1613.

Cauſa tantorum motuum Gabriel Bethlenus. Hic Gabrielis Battorij ſubditus, ambitione in tranſverſum actus, cum Turcis, in exitium Domini ſui conſpiravit, & copioſo inſtructus exercitu, Tranſylvania Principem, & vita ſpoliavit.

Itaque ille, de ſcelere parto principatu, merito ſollicitus, viciniis Regibus, & maxime Matthiæ Romano Imperatori fœdere geſtiebat uniri. Factũ eſt: ſed iſta lege. Domui Auſtriacæ, Hungarorum Regibꝰ & ipſi Hungariæ

Regno,

Regno, nulla prætentione, in æternum insidiaretur: sed amicos Cæsaris pro amicis, & hostes (Turca excepto) haberet pro hostibus. *Cum Matthia Cæsare pacem init. Anno 1615.*

Hoc tum quidem, cum Transylvaniæ statibus, diplomate, syngraphis, ac sigillorum impressione, ipse promisit Bethlenus: & postmodùm, ut sanctius servaretur, Ferdinando. II. Hungariæ Bohemiæque Regi, à Bethleno verbo Principis, à Transylvaniæ statibus, Christiana mediante fide, confirmatum est. *Et cum Ferdinando. Anno 1619.*

Strictissimis hisce fœderum vinculis, abundè, intumescentibus paulatim Bohemiæ fluctibus, Hungariæ prospectum videbatur. Sed quæ fides apud Barbaros? Suis Transylvaniæ terminis, evagantem extra animum, non tulit ambitio. Cum enim videret opulentissimam in proximo prædam, ipsum illud Hungariæ Regnum, adeo cupiditate eius exarsit, ut quatenus jure non poterat, sacrilegio sibi jungeretur. *Ambitio Bethleni.*

Sed larva deerat parandi exercitus: hanc mox, turbarum parens, Bohemia subministravit. Hac quippe suave sui Regis excutiente jugum, fucum talem commentus est, ut ar- *Pacem simulat & bellū parat. Anno 1619.*

Mens: Iul: mis, quæ in perniciem Hungariæ præparabantur, in subsidium se Ferdinandi usurum simularet. *Siquidem pactorum memoriam sibi non effluxisse, adeoq; non aliud magis oportunum tempus esse, quo dictorum conventorumque fidem, terrarum Orbi, testatam redderet. Et, si modo Ferdinando Regi allubesceret, missurum ilico multa millia.*

Cum Palatino conspirat. Interim, cum Palatino Bohemisque rebellibus juncto fœdere & consilio, Varadinum, Hungariam versus, magnis exercitibus gradiebatur. Et, ne tum quidem Hungari sinisterius quicquam suspicarentur, novo, nutantem Hungarorum fidem, commento detersit.

Bethlenij dolo. Destinatis, ad Andream Doczium Generalem Cassoviensem, literis, *Varadinum iter adornasse se*, scribit, *nec dubitare, varios de se, ab invidis, spargi rumores, quasi in Hungariæ Regnum aliquid moliturus. Cæterum monere, imo rogare impensius, ne aures pateant malevolorum sermonibus: nondum sibi excidisse, quid ex pactis, quid ex fide data Ferdinando Regi debeat.*

His alijsque verborum lenocinijs, adeo Doczium Bethlenus demulsit, ut prorsus nihil ab illo metuendum sibi

ſibi exiſtimaret. Donec tandem, primum perfidiæ documentum, Doczius ipſe factus eſt. Miſſis enim Redeio & Setſchio, qui, cum proceribus alijs ad eum defecerant, Caſſoviam cum exercitu, atrocibus illi minis, innocentem virum, urbi extorſerunt. Inde veſtibus nudatus, & ludibrio habitus, in Tranſylvania tandem, credulitati ſuæ exitio ſuo parentavit. Urbs ipſa, pari Caſſovienſium proditione & metu, jugum accepit. *Doczium decipit & occidit. 5. Sept.* *Caſſoviam occupat.*

Ingens mox, ab inſperata hac irruptione, per univerſam Hungariam, trepidatio: quam Gabriel Bethlenus, vi, cædibus, terrore, rapinis, in immenſum auxit. Sectarios, ipſo ſui adventu ſibi ſtatim conciliavit, & ab ijs juramentum fidelitatis exegit. Conſtantes, in fide Ferdinandi, Catholicos, patria pepulit. Homonaium Comitem, reluctantem nonnihil, ſed inſufficientem viribus, in Poloniam abire coëgit. *Hungariam ſubjicit.*

Multis etiam mendacio circumventis urbibus (plurimorum Principum, Reipublicæ Chriſtianæ, conſenſu expeditionem ſumptam aſſerens) Poſonium usq; penetravit. Ita Vaccium, Tyrnaviam, Neutram, No- *Hungariæ Principem ſe facit.*

vigradum, Possingam, & alias sibi subjugavit. Et, succedentibus porro ex voto rebus (comitijs à circumvento Hungariæ Palatino extortis) Hungariæ Principem se ipsum dixit. Audax facinus & ipsius fastigio majus: sed quod ille, majore audacia, in pejus cumulavit. Petronellensi siquidem arce funditus igne deleta, pulsis insuper in subsidium venientibus copijs, ipsum ad deditionem Posonium compulit. Tandemq; ad obsidendam Viennam, cum rebellibus Bohemis progressus, in unum omnes coaluere corpus.

Posonium expugnat.

Et jam non de urbibus, sed de integris, styria, Carinthia, & Carniola, Provincijs loquebatur. Nec segnius, quam diceret, videbatur ausurus, nisi firma Polonorum manu, Comes Homonajus, satis idonea Hungarorum clade, totum in Hungariam traxisset Bethlenum. Ille enim, à Sigismundo Poloniæ Rege, impetrato exercitu, ad vindicandam Patriam revertebatur: sed à Ragotzio, Cassoviensium Hungarorum præfecto, primo pulsus retro fuit. Inde, conjunctis cum Radulensi, & Althemio Comite, viribus, cladem vindicavit. In medio siquidem

Homonajus Hungaros cadit Anno 1619. Decem:

dem

dem ardore pugnæ, Polonis fugam simulantibus, incautius Hungari prædæ incubuerunt: hos, reversi Poloni, spolijs impeditos, quinque millibus trucidatis, toto pepulere campo. Sic, cum sanguine & Spiritu, male partam revomuere victoriam.

Hac intellecta clade, Bethlenus, de Hungaria jure sollicitus, retro Posonium abijt. Itaq́; , cum inducijs opus sibi videretur, ut Poloniæ Regis metu exoneraret animum, ad subdolas suas artes revertitur. Hungariam, ad sui Regis Ferdinandi obsequium, reducturum se simulat: sed tempore opus esse, quo nonnullorum exasperati animi persuasionibus suis, lenirentur. Et has, candido Ferdinandi animo, qui tum vel maxime Bohemico bello gravabatur, facile offudit nebulas. Impetratis ergo, adusq́; S. Michaëlem inducijs, mox easdem in perniciem Ferdinandi vertit. Depressis illius, & hostium, supra verum, elevatis viribus, ad armorum societatem, sollicitavit Turcicum Imperatorem. Mutuis etiam Christianos cladibus attritos asseruit: & quid aliud, scissam tot in partes Germaniam, quam prædam fore? Hæc ille (quid videtur) ad Ottomannum,

Gabor cum Caesare facit inducias.

Turcam sollicitat.

Sub induciis exercet hostilia. Sed, ne solis luderet Ferdinandum litteris, varijs, hinc inde, armorum maculis, induciarum candorem violavit. Munitas siquidem Homonai arces occupavit: Germanorum cohortem, sine cujusquam noxa, prono Danubio navigantem, invasit: eiusdem, ex arce Posoniensi, gentis præsidium exturbavit: & varia, Christiani Imperij, propugnacula, Turcis tradidit.

Hungariæ Rex renuntiatur. Aō 1620. 25 Aug: Sed quur multus in hisce minutulis? Ad extremum tandem vesaniæ progressus est, actisq; Neosolij comitijs, pridie certa morte demnuciata refragaturis, à paucis rebellionis concitatoribus, Rex Hungariæ, tumultuaria factiosorum acclamatione, renunciatus est: & Posonio diadema, ad tutiora loca, deportavit. Mox, Nitria expugnata, immissis, cis Danubium, in Austriam copijs, obvias arces & urbes occupavit: adeoque, posito omni pudore, inducias palam rupit. Multo majora patraturus, ni socij res in Bohemia, cladibus paulatim corrupissent.

Induciarum rupit.

Dum autem ille in Austria victorijs grassatur, à tergo Posonium in Hungaria periclitatur: & hoc ei, in perfidia, indulgente fortuna, ut magni viri

fato periculum vindicaretur. Generosus Dampetræ Comes, cum urbi illi minime de sufficienti præsidio prospectũ cognovisset, admotis sex millium copijs, cum propugnaculis suburbium feliciter occupavit. Et jam, lacerato navali ponte, cum sclopetarijs, arcis montem, machinas portis applicaturus, ascendit: sed cum, evaginato gladio, signum suis daret, à Moravicis in arce præsidiarijs agnitus, globo percussus occubuit. Erat is apud Lotharingos genere nobilis, sed virtute nobilior, ut quem victorem sæpius, fortem semper, suo rebelles damno senserant.

Dampetra Comes ad Posonium occumbit. 9. Octob:

Erat jam Bethlenus in summo suæ felicitatis apice, vanoque Regis sublimis titulo, altum spirans, constantem de cætero fortunam imaginabatur. Sed quam inanis humana mens? Cum aliæ deessent causę, præcipitium illi quoddam ipsa felicitas peperit, & mirabili casu auxilia securitatis in metum transierunt.

Ab extremo venerant Oriente, ad eum, Principis Tartarorum Legati, & sua, cum litteris, dona offerentes, Regium illi titulum, & per vastissimas, ad suum usque Chamum, terrarum plagas

Tartarorũ legati ad Bethlenum.

Anno 1621. plagas, penetratas famâ victorias, cõgratulabantur: hinc suum, amicitiam ejus, ambire Principem, & auxilia, si imperaret, præsto fore.

Ille oblatis, cum auxilio, muneribus, tum vel maxime ad encomium suum exhilaratus, suam, cum gloira, felicitatem nõ capiebat. Hinc, rescriptis ad Tartarum literis, illum reciproca laudum enumeratione demulsit, eique superioris anni, de Zolkevio Polonorum Duce, in Valachia, victoriam congratulabatur. *Se quoq́, dicens, Polonis inimicum esse, & cum eorundem, Hispaniæ Regis, Romani etiam Pontificis, quotidie copÿs præliari. Ad Pragam quidem Bohemiæ Regem infortunium aliquod passum esse, & hinc jam à se cum Germano Cæsare, pacis alicujus, media tractari, omnia vero simulare: ut interim, junctis sibi quindecim Turcarum millibus, pulso Ferdinando, in Austriam ruat. Bohemiæ Regem brevi, cum tricies mille viris, iterum in armis fore. Invitare itaq́ Tartarorum Principem, ut cum vicies mille militibus, placeat ad se venire: velle enim se, junctis Bohemiæ Regis, Turcarum, serenissimique Tartarorum Chami copÿs, uno velut virorum diluvio, Germaniam inundare, & potentissimo Turcarum Imperio subjugare.*

Bethleni littera ad Tartarum.

Ductūrum per Regiones & oppida Tartarorum Principem, qualia ejus Tartaria nunquam viderit; certam sibi victoriam, & militibus prædam fore.

Hæ litteræ incautius custoditæ, Hungariæ procerum manibus terebantur, & mira mox, à Gabriele Bethleno, animorum alienatio sequuta est. Certe Georgius Setchius, Thomas Bosniacus, & Palfius, clam multis instructi copijs, reconciliati Cæsari, Gaborem, Turcica prestolantem auxilia, gravibus affecere damnis, Neusoleoq; submissos auxiliares intercepere. *Hæ literæ ruina ipsius causa.*

Sic ruentibus paulatim Bethleni rebus, ille quoque antea felix, dignus tota nunc victoria, Buquojus visus est. Hic, divisas præsidijs, Bethleni copias, volens Hungaria semel, & in æternum pellere, viginti quatuor millium exercitu, singula oppida aggressus est. Et primum quidem Posonium fuit, commilitonis sui Dampetræ Comitis ulturus interitum: Sed illud, salutaribus usum consilijs, ultronea deditione, gratiam quærebat; & placuit facere, quia tam facile cesserat. Inde digressus, S. Georgium, Possingam, Moderam, & alia loca, spoliata prius, igne delevit. Tirnaviam, Altenbur- *Buquojus Hungariam recuperat.*

tenburgum, & totam fere insulam occupavit. Schitnavia, post dierum aliquot reluctationem, & impetratam, non introducendi præsidij, gratiam, ad obsequium Imperatoris redijt.

Tartari à Polonis cæsi. Proficiscuntur interim, in auxilium Bethleni, sollicitata viginti Tartarorum millia: & jam Germaniæ stragem de longinquo minabantur. Sed hoc Chotkievicius, post Zolkevium, Lithuaniæ simul & Poloniæ Generalis, Cæsareanos metu liberavit. Ille enim egregia, octo millium, instructa acie, viginti millia fudit, &, plerisq; trucidatis, reliquos in Poloniam captivos abduxit.

Buquojus ad Neosoliū cadit. 10. Julij. Et jam in arcto erat Bethlena militia, quum Carolus Longovallius, Comes Buquojus, Hercules Belgicus, Cæsarianæ militiæ Generalis, annos circiter quinquaginta natus, Neosolium obsidens, audacius in erumpentes provectus, sedecim acceptis vulneribus, & equo, cui insederat, trucidato, lancea confossus occubuit. Quantus, ô, tum triumphus Viri unius occasu intercidit! cum tumultuantes statim milites urbem desererent: cum, *Exercitus ejus fugit,* insequentibus Hungaris, plerisque ex posteriori agmine trucidatis, triginta

majora

majora tormenta hostibus relinquerent: cum non in ipsis, ad Guttam, castris tuti, ignobili fuga, Posonium usq; currerent. Quanti unius belli Ducis virt⁹ valeat insigne documentum.

Hac clade factum est, ut profligatum fere, in Hungariam bellum reverteretur. Bethlenius enim statim è suis, in quibus hucusq; latuerat, angulis emersit, & recuperatis facile, ereptis à Buquoio Urbibus, arcta denuo Posonium obsidione cinxit. Sed decem equitum turmis, & duabus peditum legionibus, ex Moravia, stratagemate urbem ingressis, desperata expugnatione, obsidionem solvit. *Bethlenus perdita recuperat.*

Cum itaque Posonium non cessisset, in Moraviam declinavit: sed nullo, in exhausta populationibus regione, commeatu invento, in Hungariam regreditur. Ibi Bethlenius conscientiam suam, periuria, fraudes, dolos: Imperator Ferdinandus subditorum & Hungariæ desolationem miseratus, utrumque bellandi nausea subijt. Et pacem facile, utrisque sperantibus, erat invenire. Bethlenius Hungaria cessit, diadema restituit, & regio titulo abstinere jussus, porro abstinuit. Econtra Cæsar, cum non- *Pacem cũ Ferdinãdo facit. Anno 1622.*

nullis

nullis Provincijs, Principis Imperij titulum, Gabori concessit. Sic Nicolaopoli cōditionib⁹ quasi beneficijs certatum: & utrique, stipulata pace, fessa potius, quam Victricia arma posuere.

BELLUM MANSFELDICUM & Brunsuicense. I.

QUis non peractum, fuga Palatini, in imperio bellum diceret? Atqui acrius multo ac vehementius, Bohemici incendij cineres, recaluere. Et in Palatinatu quidem atrox, cum Ernesto Mansfeldio, bellum. Quippe cum ille, Bohemia exclusus, Fredericum tamen adhuc suum tueretur, in Palatinatum superiorem descendit, ut aut, quæ restabant, defenderet, aut perdita recuperaret. Et tantum prope negotij, quantum re integra, cum fracto Duce fuit. Ille velitationibus quibusdam secundis, octodecim millium exercitum comparat, & expugnatis passim oppidis, integris incubuit ditionibus. Magno, meo judicio, belli Ducem, nisi probatæ militiæ virtutem, incendijs & rapinis corrupisset.

Mansfeldius in Palatinatum.

Multa recuperat.

Igitur, ne latius serperet malum, placuit duobus, Tillio Bavaricorum,

Baurio

Baurio Herbipolensium copiarum Ductoribus urgeretur. Hinc indignatus minaces scripsit Franconiæ Duci litteras, ut copias revocaret, nisi suam videre mallet ardere Franconiam. Sed, intra constantiam optimi Principis, minæ fuerunt. *Franconiæ Duci minatur.*

Ad Weidhausium ergo primo acies, veruntamen æquo fere Marte, concurrêre; paulo tamen felicius Mansfeldio dimicante, cum Cæsarianorum Ducum alter, Baurius, fortiter pugnans, in acie cecidisset. Aliud, altera deinde vice, dubio Marte prælium. Tum magnus, viginti quinq; librarum, globus, ante ipsum, inter duos Vinarienses, Mansfeldium cecidit, sic ut terra, circa ipsos, varie dispergeretur. *Pugna ad VVeidhausiũ. Anno 1621. 16 Iulij* *Alia pugna 1. Aug.*

Ipse tandem Bavariæ Dux, animadvertens potissimum Mansfeldio commeatum Amberga procurari, illac movit; ut saltem à tergo penu clauderet, & fame comminueretur. Et jam, occupato Chamo, vicinisq; oppidis, Ambergæ imminebat, cum Superior Palatinatus, suimet, ipsius Mansfeldij rapinis irritatus, Bavaro se sponte submisit. Hic Mansfeldius, circumventum se videns, ut evaderet, *Bavariæ Dux in Mãsfeldiũ.*

ret, Punicam fraudem commentus est. Summam pecuniæ pactus, se ad obedientiam Cæsaris, rediturum simulavit: munitionibus, ad Weidhausium, Bavaricis cessit: ex superiori in inferiorem Palatinatum descendit. Ubi periculum evaserat, fidem rupit: & è diametro fore se Cæsari hostem aperte professus est. Et primum mox perfidiæ monumentum Burgesellum fuit: quod oppidum occupatum ingenti pecuniæ summa multavit. Digdeshemium, sex tormentis quassatum, expugnavit: Luiterburgum, incolis metu dilapsis, libidini militum permisit. Flexo deinde Hagenoam agmine, extortis per fraudem prius centum imperialium millibus, ad suum, illam, coegit obsequium: sed frustra tentatis Tabernis Alsaticis, ipsam late vastat Alsatiam.

Mansfeldij dolus.

In Palatinatum inferiorẽ descendit.

Varia loca occupat.

Fredericus Palatinus, secundo illo, Mansfeldij, armorum strepitu, expergefactus, dissimulata persona, per Gallias ad eum venit, multa ignotus, in itinere, de se convitia compulsus audire. Mox præsentiam ejus Mansfeldius secundo prælio cohonestavit. In Palatinatum enim regressus, prope Wisilochium, castra Tillianis ca-

Palatinus ad illum venit.

stris

ſtris oppoſuit, miſſoq; nonnullo, ad provocandum hoſtem, equitatu, ceſſit ex voto. Tilliani quippe, fugam ſimulantes, ad ipſa Mansfeldij caſtra ſequebantur. Hic, diſpoſitis ad hoc tormentis, in effuſos proſperè jaculabatur. Orta mox ingens pugna, &c, trucidatis duobus Tillianorum millibus, incautam eorum ferociam caſtigavit. *Cæſarianos cædit Anno 1622. Men: Mart.*

Hanc ſuæ cladis ignominiam, Tillius, capitali regeſta clade, deterſit. Junxerat ſe Mansfeldio Georgius Fredericus Badenſis Marchio Durlacenus, & tradita filio ſuo ditione, unum totus ſequi Martem decreverat. Adeoq; Wiſelochianæ victoriæ particeps, ſuis à Mansfeldio ſequeſtratis copijs, ſolus, ſolo exercitu, indiviſæ victoriæ gloriam ſectabatur. Sed in contrarium omnia cecidere, & ejus temeritate factum eſt, ut unus, ad Wiſelochium, viciſſe Mansfeldius videretur. *Marchio Badenſis in Cæſarem.*

Tillius, Gonſalvi Cordubæ viribus confirmatus, & Durlaceni conſilio lętus, audacter in illum movit: nempe quemadmodum duobus & unitis hoſtibus impar, ita ſejunctis & ſingulis ſuperior ſibi videbatur. Badenſis interim, *Tillius in Badenſem.*

terim, Wimpfenam & Heilbronnam inter, in aperto viridiq; campo, mox ſanguine ſuorum purpurando, conſederat. Tillius ergo, exploratis ejus caſtris, ſylvam collemq́; ad dexteram, (quem negligere quidem Marchio non debuiſſet) occupavit.

Prælium ad Wimpfenam 27 Apr.

Ipſo ſtatim ſequentis diei (quæ ſereniſſima erat) auſpicio, prælij pariter & victoriæ auſpicium fuit. Cæſariani quippe Marchiacos, in patenti campo tormentis ſuis obnoxios, continuis exploſionib⁹ lacerabant. Quibus tandem nonnihil evitatis, concurſus equitum ſequebatur: quo, æquali prope damno, ad meridiem usque producto, utrisq́; feſſis, duabus horis, quaſi de induſtria requies fuit.

Equitatus Marchiacus fugit.

Inde novo fervore, novo conſilio, novis etiam viribus dimicabatur. Sed Auſtriaci, ut in ſylvula refrigerio; ita in campo felicius, non laſſo fervore, pugnabant. Ceſſit ergo equitatus Marchiacus, & Heilbronna excluſus, confugere Garthacum compulſus eſt. Fortius tamen viduus peditatus pugnabat, & totam belli molem ſolus ſuſtinuit, ſolus in Sylvulam retro egit. Reverſa tamen, nova Tillianorum ferocia, in campum pugna eſt:

&,

&,cum æquo diu Marte dimicaretur, casus tandem Austriacis Victoriam dedit.

Badensium aliquot nitrato pulvere onusti currus,(propriorum an hostilium tormentorum fulmine dubium est) flammam concepere, & miserabilem Marchiacorum,ad duo jugera, stragem dedere. Hinc confusio, mox mera cædes. Triginta octo tormenta metallina, centum viginti militaria signa,in manus venerũt. Mille quingenti currus, omnimodis spolijs pleni,cum ingenti pecuniæ summa,prędæ fuerunt. Sex millia cæsa,duo millia capta sunt. Adeoq; hæc tanta victoria fuit, ut secunda,post Pragam, numeraretur. *Badensis vincitur.*

Et jam indubiè sua Cæsaris erat Germania, cum gratiam precarentur Principes, & Mansfeldius desperaret, nisi summa á sæculo pestis, Batavorum emersa paludibus, immani strage Germaniam populata fuisset. Veruntamen placuit hanc veneficijs excitare,ne,pacata Germania, ad primos suos concitatores,secundo Rheno, bellum navigaret. Verum enimvero hæc quoque, suis præliorum ardoribus, ab Imperatore tandem consumpta est.] *Hollandorum consilia.*

Chri-

Christianus Brunswicensis in Imperatorem. Christianus itaque, Ducum Brunswicensium prosapia oriundus, Pseudo Halberstadiensis Episcopus, cum dignitatis illius, quam invaserat, confirmationem, à Cæsare desperaret, consilijs & subsidijs Hollandorum erectus, quodam diluvio scelerum Westphaliam inundabat. Nihil enim illius, præter rapinas, cædes, stupra, incestus, sacrilegia, egit exercitus; plane quasi, non cũ Cæsare, sed virtute, bellum suscepisset. Ita hoc Lipstadium, Susatum, Paterborna, Brachelia, aliaque Westphaliæ oppida subacta testabuntur. Tunc illæ, toto Orbe execrandæ, pecuniarum extorsiones, &, conflatis in nummos sanctorum statuis, insolentes inscriptiones: *Christianus Brunswicensis, amicus DEI, Clericorum hostis.* Cum hi sacrificijs Numen adorarent, immanibus ille sacrilegijs profanaret, sceleratus tamen homo, ut amicum se Deo faceret, inimicos Deo dixit.

Gottes freund Pfaffē Feind.

In Palatinatū proficiscitur. Erat itaque libidine sua jam debellatus exercitus, & á Iacobo Anholdino Comite paulatim atterebatur: donec, ad suam ipsius ruinam, Palatinatum versus proficisceretur. Ibi illum, Tillius, Corduba, & Anholdinus, con-

junctis

juncti, jungendo ponte occopatum, undique invadunt, tormentisque vacuum in fugam propellunt.

Brunſwicenſis, ut ſcelerum alias, jam fugæ Princeps, primus ad flumen. Dumque Ducem, ponte transeuntem, effuſius ſequuntur milites, diſruptis ordinibus, tanto impetu feſtinant iter, ut, ſciſſo ponte, ſceleratorum millia vorticibus amnis abſorberentur. Reliquæ cohortes deſertæ, gladijs glandibusque Cæſarianorum conficiebantur; uſq; dum, ad Benshemium, Mansfeldio junctæ, eius cauta fortitudine, quaſi clypeo tegerentur.

Ad Mænum casa ditur. 2. Iulij

Ad quatuor millia cæſa, plura Mæno merſa fuere. Atque hæc prima de ſacrilegis ultio. Igitur Palatinus, belli ſumptibus impar, hiſq; exercitibus victoriam deſperans, fretus etiam compoſitione Bruxellenſi (quæ tum agitabatur à Iohanne Digbio, ſoceri ſui, magnæ Britanniæ Regis Legato) exautoravit id poſtulantes exercitus.

Mansfeldius ergo & Brunſwicenſis Germania deducunt copias, &, relicto Sedani Palatino, ab Hollandis militiæ ſacramento obſtricti, Brabantiam verſus cautè progrediuntur; Corduba

Fredericus Palatinus Germaniam deſerit.

& Anholdino, modo à latere, modo à tergo, modo à fronte urgentibus; donec ad Floreacum, non procul Namurco, ventum est. Ibi, pugnam offerentibus, Brunswicensi & Mansfeldio, Ducibus, ipsa illa die concessa est. Ordinibus itaq; instructis fortiter acies concurrere, & in summas Austriaci redacti angustias, Embdana potissimum & Isenburgica legionibus eriguntur, recuperatisq;, per Gaucherium, amissis curribus & tormentis, multa in potestatem signa venerunt.

Mansfeldius & Brunsuicensis ad Floreacum caeduntur. 29 Aug.

Cecidere, præter captivorum numerum, ad quatuor millia. Mansfeldius insuper cisiam suam, Brunswicensis brachium amisit. Adeoq; accisis copijs, Bredam pervenere, ut, cum ante conflictum viginti, jam non, nisi octo millia numerarentur. Quibus dum Batavi, ad Bergo opsomæ obsidionem solvendam utuntur, viduus interim omni exercitu Palatinatus Tillio cessit. Heidelberga, nequicquam generose defensa, vi expugnatur. Manhemium æquis conditionibus transigit. Franckenthalium, Isabellæ, agente Jacobo Rege, velut sequestro traditum. Sic, exactis Germania

Caesorum numerus.

Totus Palatinatus occupatur.

mania hostibus, Germaniæ vendicata libertas.

BELLUM MANSFELDICUM & Brunsvvicense.II.

POst primum bellum Mansfeldicum & Brunswicense, vix duorum mensium requies: ecce alterum bellum, minus quidem spatio, sed adeo cladium & vastatione Provinciarum terribile, ut, si æquis calculis illata damna metiamur, amplius quam sub Attila suo Hunnos revixisse diceremus.

Solverant Berg-opsomæ obsidionem Batavi, & accitas, in subsidium, Harpyas, Provincijs suis noxias, varijs delinimentis è suis finibus exigebant, & instructas novis viribus, in Imperium rursus emttebant. Mox illæ Neukirchio, Ratsfeldio, Statloo, Melino, alijsq; horribilem in modũ direptis & expilatis Oppidis, Tartaricum in morem, varijs bellorum cicatricibus fœdam non ita pridem à se Westphaliam, ad extremum deformarunt. *Mansfeldius & Brunswicensis in Imperium revertuntur.*

Inde, ut latius vagarentur, destinatas prædæ terras diviserunt. Et Mansfeldius quidem intactam hactenus Orientalem Frisiam, ut Campaniam quã- *Mansfeldius Orientalem Frisiam*

miserè afflig it. dam millies Annibale sævior, ingressus est, & inaudita, ab ullo exercitu, licentia diffluens, immania auribus scelera perpetrabat. Meppena mirum in modum munita, asylum, compendio quodam flagitiorum, facta est. Cloppenburgo, Wilshusio, & alijs quibusdam, spectantibus ad Electorem Coloniensem, reditibus, homo profanus, & exitio Germaniæ natus, manus iniecit. Exactiones subditis intolerabiles imperavit, & agricolis, ultra quam haberent, cruciatibus extorsit.

Oldenburgensem Comitem exhaurit. Sed quid in infimam plebem, cujuslibet ictui obnoxiam, non auderet, qui sublimem Principum virorum authoritatem violare non erubuit? Pudet dicere. Comiti Oldenburgensi, indignis modis, centum inperialium millia extorsit.

Libidine diffluit. In libidinem tandem declinavere rapinæ. Fornicatio publice permittebatur: quin imo matres & filiæ, in mutuo alteræ alterarum aspectu (vah bestias!) constupratæ. Et totus tandem Mansfeldius, in monstrum illud, ut mente, & animo, degeneravit: adeo ut suis ad extremum flagitijs, nõ armorum viribus consumeretur.

 Brun-

Brunſwicenſis ad Viſurgim pari immania, paulo tamen fortius, flexit agmen. Huxarienſem, Hammelienſem, & Rentelenſem, civitates, firmo præſidio munivit. Vechtiam, per StirumenſemComitem, trucidatis Hiſpanorũ octingentis militibus, intercepit. Et Viſurgim transgreſſus, Saxoniæ inferioris circulum ad rebellionem diſpoſuit. *Brunſwicenſis ad Viſurgim Varia occupat*

Et jam Mansfeldius & Brunſwicenſis, majora volventes animo, cum Bethleno Gabore fœdus jungebant: ut, cum Germaniam illi imperiumq; Hungariam hic Moraviamq; invaderet, &, in medio duorum hoſtium, uno tempore, Cæſar premeretur. Ad hoc & ab Eisfeldenſibus collata pecunia eſt, &, pro tranſitu, in Bohemiam usque, Saxo ſollicitatus. *Fœdus Mansfelldij & Brũſwicenſis cum Bethleno.*

Sed mox propoſitum & conatus eorum Fortuna deſtituit. Nam & Bethlenus (ut poſtea patebit) fruſtra in Hungariã movit, & Elector in fide Cæſaris perſeveravit, & Brunſwicenſis, ut leviter à Saxoniæ inferioris circulo fuerat receptus, ſic, imminentibus Cæſarianis, pari levitate rejectus, cis Viſurgim, in Weſtphaliam regredi cogebatur. Ibi comburentes o- *Brunſwicenſis ad Stadtloã cæditur. Anno 1623. 6. Aug.*

mnia Brunſwigianos, inſequitur, cum Anholdino, Tillius, eorumque extrema agmina, prope Stadtloam, in ericeto Duvendica invadit. Et occultata, Vicinis in paludibus & arbuſtis (quam Lingenſes Grollanique ſubmiſerant) forti manu, undiq; circumfuſæ Brunſwicicohortes ſternuntur. Et numeroſus ille triginta millium exercitus; ad hoſtium ſuorum ſatietatem cæditur. Donec, miſericordia tacti Duces, dicerent, inſtar Annibalis, militi ſuo. *Parce ferro.* Sex millia cæſa, quatuor millia capta ſunt. Septuaginta quinq; vexilla ablata, vexillationes octodecim, & tormenta duodecim maxima, ab Hollandis (ut notæ characteresq; indicabant) ſubminiſtrata. Adeoque inter tantũ exercitum ac nullũ vix dies interfuit. Chriſtianus ipſe Brunſwicus, cum duab⁹ equitnm turmis, & vulnerato juniore Turrenſi, Brefortã ægrè pervenit. Inde Embricã & Arnhemium porro progreſſus, ſuos ex pugna profugos præſtolabatur: quorum & ad duodecim millia brevi reverſa.

Verumenim vero, ſuccollantibus ea Batavorum ordinibus, ſex ſelectorum millia Duci attribuerunt. Egregij

gij nimirum pacificatores Orbis Germanici; quibus volupe, atque è re, committere inter sese Principes cum Cæsare, eoque pacto & Cæsarem & Hispanum intestinis distinere bellis.

Mansfeldici, intellecta clade, ne subito opprimerentur, Meppenam deseruerunt, & in Frisiam ad suum se recepere Mansfeldium. Quem diutius incubantem illa provincia perpessa est; donec tandem Anthonius Guntherus Comes, Oldenburgic⁹, exoravit Cæsarem, ut, data exitialibus Harpijs venia, sacramēto solverentur. *Mansfeldici Meppenam deserūnt.*

Redeunt itaq;, ingens prius aurum pacti, in desolatam tot exercitibus Westphaliam; si quid nempe Brunswicensis reliquisset scrutaturi. Sed hos etiam, Frisoytam oppidum oppugnantes, à tergo Cæsariani invadunt, & circumventa, ab Anholdino & Erwitto, sacra capita, quindecim multantur vexillis. Limbachius, cum plerisque Centurionibus, in manus venit. Reliquæ suis rapinis mutilatæ copiæ latrocinijs evanuerunt. Mansfeldius ipse, paucis comitatus, in Hollandiam quoq; se recepit. Adeoq; multas, hac expeditione, è Germania, clades & infamias, nullas sacrilegi victorias reportarunt. *Ad Frisoytam cædun-tur 26. Decem.*

BEL-

BELLUM TRANSYLVANICUM *secundum.*

Bethlenus in Hungariam redit.

DUm alij alijque Duces Bohemici belli sequuntur ruinam, Transylvania se rursus erexit. Bethlenus nobilissimo Hungariæ Regno quodammodo inescatus, non jam quasi alienum, sed quia amiserat, quasi captũ, belli jure repetebat. Igitur ut extincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt; ita ille de integro, (inita tamen prius cum Mansfeldio, ut superius vidimus, & Brunswicensi armorum societate) auctis majorem in modum copijs, tota deniq; Transylvaniæ suæ mole, in Hungariam rursus, terra fluminibusq; veniebat. Non aliud formidilosi⁹ fama bellum, cum per Bethlenum universum in arma Turcarum imperium sollicitaretur.

Fuco Turcam in suas partes trahit.

Sed cum jurisjurandi tenaciorem Turcam iuvenisset, ad artes conversus, fingit ad Hungariæ status litteras, velut ab Imperatore Romano scriptas: quasi victo Palatino, & Palatini Ducibus, in Valachiam, Bosniam, Græciam, arma translaturus, &, si cederet, ipsa Thraciæ Turciciq; Imperij

rij

rij metropoli, Byzantio Sultanum pulsurus. Has à se fictas, ut intercepta quasi litteras, Sultano mittit, & locum (crebris victoriarum Ferdinandi nuntijs accensa invidia) fucus invenit. Præsertim cum, adnitentibus Jegerndorffio & Seniore Turrensi, supremi Bassæ, multis imperialium millibus, Constantinopoli favor emeretur; & quadraginta annuè millia, cum quibusdam Hungariæ urbibus, stipularentur.

Expugnatur hisce & timoris & lenocinij arietibus, paci alias quam bello aptior, Mustaphas. Missaq; Turcarum & Tartarorum sexaginta millia: & his quoq; Hungariam, inde, afflictam toties, Moraviam inundabat. Cædibussq; omnia, rapinis, & Christianorum, in miseram servitutem, abductionibus, miscebantur. *A Turca subsidium impetrat.*

Inclinavit hæc plurium animos calamitas: eorum maximè, qui impijssimo Christianæ religionis desertori Comiti seniori Turrensi, ac Marchioni Jagerndorffio non dispari, vilissimis Turcarum mancipijs adhæserant, olim libertatis Calvinisticæ sitientissimi.

Succurrit tamen surgenti malo,

 tectus

Cæsariani resistunt. tectus illiora defendendæ, Cæsarianus exercitus; stititq; ruentes in extremam perniciem rebelles, malorumq; suorum, suavis imperij Calvinistici facino, ignaros.

Sed hoc, in malorum compendio, breve solatium. Hostes enim multitudine abundantes, mactatis ad Tyrnam, pecorum in morem, Tiefenbachij copijs, universum, cum Duce suo, Hieronymo Carafa Marchione de Monte Negro, ad Ghedinum, cingunt & circumvallant Cæsarianum exercitum. Et præcisa omni, subministrandi commeatus, facultate, magna sequuta penuria est. Mox fames, & mactatis centenis aliquot equis, equina caro taxata pecunia.

Circumvallantur. Anno 1623.

Tum Bethlenus, nullum tempus ad iniqua cogendi Cæsarem opportunius ratus, Conditiones pacis superbissimas ei præscripsit. Dari sibi Principatus in Silesia duos, oppeliensem & Ratiboriensem postulavit. Hungariæ urbibus, à montibus Transylvaniam usq;, cederet Imperator, injunxit. Omnes belli sumptus Cæsar resarciret voluit. Proregem se, seu Palatinum Hungariæ, Ferdinandus faceret, jussit. Et cautionem, seu hypothecam,

Bethlenis præsumptio in Cæsarem.

thecam, pro conservando fœdere, sufficientem præstaret, imperavit.

Quæ hominis temeritas, qui has Imperatori, quasi victo, belli leges præscriberet! Sed animose (qui exercitum alium exspectabat) pro dignitate, Cæsar. Et, præscriptis alijs pacis legibus, lacessitam Cæsaream Majestatem vindicavit. Nempe captivos Christianos Gabor libertati redderet: rebellionis Duces & strategos, ut Jagerndorffium, Turrensem, ac Lumpenburgium, sibi traderet: illatam suo Hungariæ Regno cladem resarciret: tota Hungaria cederet: nec de cætero suos affligeret subditos, fortiter imperavit; nisi faceret, adacturum se, ac sedibus pulsurum. *Cæsaris in Bethlenum.*

Irritatus tam insperato responso barbarus, acrius Cæsarianis, ad Ghedinum, incubuit: & assultibus crudelissimis, attamen, gravissimo suo cum damno, ut plurimum irritis, deditionem sollicitavit. Sed corpora Germanorum, non virtus premebatur; adeoq; & ab enecto fame milite ultro pugna postulabatur. Generositas pro victoria fuit. Quippe Bethleni, animositate Cæsarianorum, expugnato animo, ipse de ea nonnihil despera- *Bethleani conatus irriti.*

Hungariam vastat. vit. Dimissis ergo Turcarum aliquot ad rapinam legionibus, omnem latè vastavit Hungariam, pagos ussit, oppida diripuit, Christianos ad mancipia præparavit.

Pupugit Fortunam facinus, & ad scelerum ultionem commovit: nec, *Turcicæ legiones aliquot caduntur. 2. Nov.* volentem ulcisci, quam facere poterat, occasio defuit. Legiones enim præda graves, dum Christianorum millia, quasi pecorum greges, non in castra Bethleni ad Ghedinum, sed & sævitiam eius, & Germanicam hyemem, ulterius non ferentes, Turciam versus, ad servitutem pellunt, hoc ipsum fecit exitio esse, & Esterhasio Comiti, occupatas invadere, copiam fecit. Nec ille cunctatus, in districtas ad Neutram fortiter invectus, insigni eas strage multavit.

Postridie cum dissipatæ coissent *Iterum caduntur. 3. Nov.* copiæ, prælio & fugæ præparabantur. Siquidem, ad Neutræ pontem properantes, fugæ iter ante pugnam respiciebant. Sed & hunc in eorum damnum Fortuna vertit. Cæsariani quippe, inscijs Osmanidis, iniectis flammis, pontem magna sui parte mutilavere. Tum, instructis aciebus, pugnatur acriter, fortius tamen à feroce

præcedentis diei victoria Cæsariano milite. Et jam magnam, idem, utrisq; spem, pons faciebat: Barbaris fugæ, Cæsarianis victoriæ. Quæ tamen illos fefellit, hos fideliter iuvit & erexit. Dum enim urgent Cæsariani prælium, ad mutilatum retro pontem Turcæ cedunt: mox, misso pudore, certatim fugiunt. Dumq; priores ad pontis semiusti fines consistunt, à posterioribus ad pontem, ad lapsum, ad aquas premebantur. Hinc à tergo cædes, à fronte submersio, & ineffabilis quædam confusio. Quinam enim ille horror, cum eodem tempore viris & fluctibus, aquis & armis, hostes premerentur! Sed ita inter eorum scelera & Fortunam convenerat; ut, qui varijs modis peccaverant, non uno perirent.

Tertia die ancisarum copiarum reliquiæ palabundæ Ovariensem arcem prætergrediuntur, &, dum ab hoste, cædibus fatigato, securitatem spondent, tum ab Esterhàsio Comite, tum aliunde submisso milite, trucidantur, tum in insidias etiam, à præsidiarijs Comorrensibus structas, pelluntur; ut è tantis copijs vix unus evaserit. Atqui si quis trium dierum momenta consi-

Omnino delentur.

4. Nov.

consideraverit, primo commissum est prælium, profligatum secundo, tertio omnino consummatum.

Bethleni indignatio. Quæ ira Bethleni! Illam suo circumscribi corpore & animo non sustinuit, sed eandem, in sui ludibrium, hosti patefecit. Scriptis siquidem minacibus, ad Esterhasium Comitem, litteris, risum meruit, plausum causavit. Quid enim poterat esse Cæsariano militi magis volupè, quam minis hostiū suam quasi virtutem commendari, cladem agnoscere, dolorem aperire? Itaque ille, Bethleni indignatione, tanquam victi confessione, animatus, fusis quibusdam copijs, octo camelos, pretiosissimo panno Turcico, & argenteis vasis onustos, intercepit; ut, si posset, iram hominis, ad insaniam transferret.

Damnum patitur.

Et ille quidem, suis irritatus cladibus, in furias omnino exarsit, rapinis, flammis, & Christianorum, in miseram servitutem, abductionibus, omnia miscens; sic ut totus tandem Bethlenus, in Turcam, & animo, & corpore, & more degeneraret.

Eius crudelitas.

Tandem tamen, Brunsuicensis & Mansfeldij cladibus intellectis, &, de Tillij adventu certior factus, ad Kalendas

Induciæ cum

lendas usq; Januarias, cum Palatino Hungariæ, inducias pepigit, sine lytro captivos dimisit, & militem suum, ab exercitu Cæsaris, ad Ghedinum vallato, abduxit. *Cæsare facit.*

Exspirantibus autem inducijs, Bethlenus ad vetera redijt, &, expugnatis quibusdam oppidis, plures homines, ut pecora lupus, in lanienam rapuit. Iterum ergo Fortunam ussit, & dignus, ut antea, clade fuit: quam ille, qua minime sperabat, parte sensit. Quid enim, volentem Fortunam casum, falleret. Ipsa securitatis auxilia in metum transtulit. *Post iras duciae eius insania.*

Miserat ad Ottomannum, Jacobum Curtium, Ferdinandus Imperator, Legatum: qui, ut dolum Bethleni sensit, factas & fictas à Gabore litteras ostendit, imposturam & impostorem varijs rationibus demonstravit. Flexit suo robore veritas Ottomannum, & missa, quæ restabant, Bethleno auxilia, sub intentatione ensis Turcici, revocavit, ictaq; cum Cæsare fœdera, in plures annos, prorogavit. *Impostura illius detegitur.*

Quid, post Turcam, Gabor! Maximis viduatus copijs, ut se sibi redditum vidit, Mansfeldium insuper & Brunswicensem cæsos, ex Impe- *Pacem impetrat. Anno 1624.*

rio, in Hollandiam, fugisse inaudijt, pacem rursus (prima occasione rumpendam) postulavit. Nec, tædio belli, abnuit Imperator.

Condi-tiones. Itaque Bethlenus nihil aliud hac rebellione profecit, quam ut, cum pudore, Hungaria rursus cedere cogeretur, captivos insuper & ablata reddere jussus. Adeoq; ut Turcarum auxilijs formidabilem, ita eorum revocatione contemptibilem, una eademque Fortuna Bethlenum fecit. Non oppressit tamen aut sustulit, ut alteri bello reservaret.

BELLUM MANSFELDICUM & Brunsvvicense III.

IRritati suis, secundo suo bello, cladibus, Mansfeldius & Brunswicensis, ut alias, in amicum, hostium Cæsaris, portum, in Hollandiam se receperant. Et mox, novis Batavicorũ fluctuũ procellis jactati, in Angliam, Franciam, aliasq; Provincias appulerunt, Ferdinando Imperatori hostem toto orbe quærentes. Et facile, alijs damno, alijs invidia rumpentibus, erat invenire. Itaq; Mansfeldius exercitus Generalis, multis Anglorum peditum millibus: & Christianus

Mansfeldius & Brũswicensis exercitum impetrant.

Brun-

Brunſwicenſis Generalis Magiſter equitum, frequentibus Gallorum turmis, ex Anglia, & Gallia, uno propoſito, in unam Hollandiam navigabāt.

Mox inaſſuetis mari magna lues. Ergo, ut homines terræ & valetudini ſuæ reſtituerentur, ex humidioribus vicino mari Provincijs, per Sicambros, in Cliviam, Romani Imperij Provinciam, illo, ut videbatur, exercitu, & lue digniorem, ducebantur. Nempe ſatius erat, ut, cum Imperator nondum poſſet, licet incorporata, Imperij tamen terra, cladem acciperet. Itaq; Reſam inter & Veſaliam, loco amæniſſimo, caſtra muniunt. Inde hoſtiles, in agrum Colonienſem eruptiones. Et ea rurſus, ipſisq; ſolita, barbarie ſævitum, ut de præeminentia, Mansfeldius & Brunſwicenſis, certare viderentur. Sed hanc tandem, dubio procul, hic obtinuit; ad compendium flagitiorum ſtratagemate uſus. Aſſumptis ſiquidem ſexcentis peditibus, & quatuor equitum ſignis, beneficio noctis, ad nihil tale metuentem Ordingam, Diæceſis Colonienſis oppidum, profectus eſt. Vigiles fefellit, oppidulum intercepit. Mox itur ad ſpolia, rapinas, cædes, &

Prope Weſaliam caſtra muniunt.

Colonienſes vaſtant.

Brunſwicenſis Ordingam diripit. Anno 1625. 10 Iulij.

ſtupra.

ſtupra. Nec ulla relicta eſt aut mulier, aut inviolata virgo, niſi quam ſpelunca, vel caſus aliquis, oculis ſubduxiſſet. Fortunis omnib⁹ exutorum civium nuda tādē corpora taxata lytro.

Insolentijs Consumuntur. Aderat licentiæ pœna, &, cum Hollandorum præſidijs, quaſi clypeo, tegerentur, ſine hoſte tamen patiebantur hoſtilia. Illas ipſas ſuas rapinas, quaſi aureum Erydis pomum, inter illos Diſcordia jecit, & mox, cum nihil, in exhauſta regione, quod raperent ſupereſſet, ſua invicem ſpolia rapuerunt. Nequid vero ad ludibrium quoq; deeſſet: *Vivat Mansfeldius, Vivat Brunſuicenſis*: ut hoſtiles voces, invicem excipiebantur. Addita confuſioni penuria, penuriæ morbi, mortes, & fuga. Sic ut ille quindecim millium exercitus, ſuis fere malis conſumeretur. Tandem reliquiæ navibus impoſitæ, varie tempeſtatibus caſtigatæ, in Daniam appuleruut, & cum eis in Septentrionem navigavit bellum.

CORONATIO FERDINANDI III. *in Regem Hungariæ.*

INvictiſſimus Imperator Ferdinandus II. cum, quas expertus erat, turbas,

turbas, difficultates, ſubditorumq́; ruinas, providè præcavere optaret, & hæredem filium videre Regem, huic propoſito ejus non parum fortuna favit, ipſis, Sopronienſibus in Comitijs, Regni ordinibus, ultro Hungariæ Regnum offerentibus. Præſertim cum, imminenti ſæpius Hungariæ Regno Gabriele Bethleno, præſidio quodam indigerent: quod habere videbantur, ſi Regem in Regno, Cæſaris filium in gremio alerēt. Tum etiam, ne, ſi humanitus quid Ferdinando Imperatori contingeret, interregni tempore, Bethlenus Gabriel idem, Rege filio non coronato, Succeſſionem ambiret.

Ferdinando. III. Hungaria Regnum offertur.

Itaq; ab Eſterhaſio, creato, ijsdem in Comitijs, Regni Palatino, Poſonio corona rheda advecta, & quicquid neceſſarium videbatur, Vienna allatum eſt. Tum ipſa Deiparæ immaculatæ conceptionis die, in præſentia Imperatoris, Imperatricis, legati Regis Catholici, Magni Etruriæ Ducis, & aliorum, ſub ſacro Miſſæ officio, à Strigonienſi Archiepiſcopo, ſolenniter in Regem unctus, &, regalibus. S. Stephani veſtimentis indutus, ab eodem, S. Stephani gladio accinctus eſt.

In Regē coronatur. Anno 1625. 8. Dec.

Inde

Inde Esterhasius Palatinus, corona ab Archiepiscopi manibus accepta, stentoria voce: *O Regnum inclytum, O vos Hungari*, inquit, *quotquot estis; vultisne Serenissimum Ferdinandum Ernestum Archiducem Austriæ, sacra corona S. Stephani solenniter inaugurare?* Quibus constantissima voce, *volumus*, &, *Vivat Rex*, ingeminantibus, receptam de manu Palatini, Strigoniensis Archiepiscopus, à quadraginta gestatam Regibus, sacro capiti coronam imposuit: Deinde & Sceptrum pomumq; Regni porrexit. Atq; hæc omnia ea pompa & Magnificentia peracta sunt, quantam Regius ille actus requirere videbatur.

Ita in Ferdinandum III. cui sacratissimus Imperator incumbere dudum cæperat, onus Regni aliquatenus reclinavit: adolescentem animo alacrem, ingenio potentem, frugalitatis continentiæq;, in illis aut annis aut opibus, non mediocriter admirandæ. Et, ut postera fortitudo docuit, patientem laboris, voluptatibus alienum, quantumq; imponere illi probus parens, & (ut ita dicam) inædificare voluisset, laturum; ut qui legerat, nulli cessura ponderi, fundamenta.

menta. Quæ diu ſtare, nunquam ſubrui, DEus Cælitesq́; faciant.

FLORI GERMANICI
LIBER SECUNDUS.
BELLUM DANICUM.

BEllum Danicum unum quidem titulo, ſed victoria multiplex. Hoc enim Brunſwicenſes, Luneburgenſes, Bremenſes, Megapolitanos, Holſatos, Danos, totam deniq́; Cimbricam Cherſoneſum, una veluti ruina, pariter involvit.

Cauſa tam lati belli Chriſtiani IV. Daniæ & Norwegiæ Regis ambitio. Hic, cæſis Mansfeldio & Brunſwicenſi, vicinis Cæſarianorum hybernis, ad limitem inferioris Saxoniæ circuli, in aliam ſuſpicionem adductus, ſibi, ſuisq́;, quos pro filijs ſuis prenſaverat, Epiſcopatib9 metuebat; jamq́; non contentus Ferdenſi, Halberſtadienſem quoq́;, Bremenſem, Lubecenſem, & Oſnabrugenſem, ut tanto commodius conſtitueret ſuum Regnum Interamniſticum, ambiebat. *Daniæ Regis ambitio.*

Quæ cum indulgentia Cæſaris de ſperaret; clanculo ad alia verſus, Sa- *Saxoniæ in*

xoniæ

ferioris circulum ad bellum disponit

xoniæ inferioris circulum, quia necessarius erat, ad arma sollicitavit. Gravissimo jugo Cæsarem illum districtum sibi subjicere, instituere visitationes, catholicam religionem invehere, non catholicis Episcopatus adimere, feudatarios, more majorum, ab investitura excludere, & omnia ad odiosæ transacionis Passaviensis (cujus observantiam tamen dudum ejurassent) normam reformare constituisse, querebatur. Multa porro falsa veris miscuit, omnia, quæ nos in virtutem, ille in vitium interpretatus. De se vero nihil; ne quid propriæ ambitionis, qui solius circuli bonum quærere profitebatur, destinata corrumperet.

In Præfectum Circuli assumitur.

His alijsq; verborum phaleris tantum Christianus effecit, ut, conscripto, ad defensionem circuli, milite, ipse etiam, neglecto, tanquam inidoneo, Seniore Luneburgico Duce Christiano (qui ordinariã alias præfecturã Circuli, triginta & amplius annis, probe administraverat) in Præfectum ejusdem assumeretur: frustra Romano Cæsare, cum Seniore Luneburgico Duce, litteris indignante.

Cum hoc ergo feliciter successisset,

aliud

aliud quoq; Daniæ Regi non minus oportunum. Friderici Palatini ejectio multos male habebat Principes: præsertim, cujus è re maximè erat, Jacobum VI. Magnæ Britanniæ Regē. Sed hic pacificus omnino Princeps, conditionibus potius, quam armis, restitutionem urgebat: immo unicum Regnorum suorum hæredem filium, Carolum Walliæ Ducem, in ipsam usq; Hispaniam misit, matrimonium filij cum Regis illius sorore Maria obtulit, & magnam Catholicis, in Anglia, libertatem promisit; dummodo Palatini ratio haberetur, & restitutionem ejus procuraret. Sed nescio quid, inchoatum prope, matrimonij vinculum solverit. Tanto certe odio exarsere in invicem repente Reges, ut Britannus, misso in Galliam filio, Christianissimi Regis Ludovici XIII. sororem Henricam Mariam ei impetraverit, & rupta cum Hispano pace, novo cum Gallis matrimonio, novis fæderibus jungeretur.

Aliud ad votum Regis Daniæ.

Et quoniam, restitutionem Palatini integram pacis legibus desperabant, armis procurandam censuere. Hoc autem cum melius & oportune magis, quā per latera Dani Regis (nempe

Fædus inter Reges Franciæ Angliæ

qui

Dania, & Hollandos. qui paratum, titulo defendendi circuli, exercitum, minori suspicione aleret) fieri non posset, legatos mittũt. Anglia centena aliquot imperialium millia, Francia vero coronatorum, cum multis bellatorum millib⁹, pollicebatur. Insuper unitæ Belgarum Provinciæ, naves, copias, & suas ultro offerentes opes, nova subjecta quasi face, accendebant animum.

Hæc tanta promissa, hæ oblatæ vires, hæc verborum lenocinia, pronum jam ante ad ista, totum in bella rapuere Regem. Cumq; bellorum sumptus & onera, insuper Cæsaris & fortunarum suarum vires, jugi calculo dispunxisset, ulterius procedendum, & jam non tantum ad defensionem, sed Belli quoq; societatem, Saxoniæ inferioris circulus, alliciendus videbatur. Quod non adeo difficile erat, cum ordines, semel in suspicionem adducti, minus à proposito Regis porro abhorrerent.

Actus fœdus Daniæ Regis cum Sa. Igitur conuent⁹ Lavenburgi indictus, & novo fœdere juncti, Rex Daniæ, Administrator Hallensis, Pseudo Bremensis Archiepiscopus, Dux Brunswicus, Megapolitani & Holsatus, Duces; & dudum ad Circuli Sa-

xoniæ

xoniæ defenſionem conſcriptas copias, augendas decrevere. Mox ubiq; novi delectus, qui ſuſpecti non vane Cæſari, monitoriales ſæpe litteras extorſerunt. Sed illi litteris ad ludibrium, delectibus ad bellū abutebantur. *xoniæ inferioris Circulo. Anno 1625. 25. Martij.*

Inſuper, cum confæderatis omnibus, Daniæ Rex, (quod jam & fieri conſueverat) Gabrielem Bethlenum reſpexit; ut cum ipſe à Septentrione Romanum Imperium, hic ab Oriente hæreditarias Imperatoris provincias oppugnaret. Adeoq; à duobus hoſtibus occupatus, in ſingulos uti, ſe toto, Cæſari non liceret. Itaq; quadringentis octuaginta Imperialiū annue millibus, Gabriel, alias ambitioſus, ad arma in Cæſarem emptus eſt. *Et cum Gabriele Bethleno.*

A propinquo omnia melius ſpeculabatur, Tillius, & ſcrutatus cuncta eorum conſilia, monito Cæſare, quæ ad illam, Septentrionem verſus, belli molem non ſuſtinendā tantum, ſed ſubmovendā quoq; opportuna judicabat, non intermiſit. At quia mutuo metu tenebantur, integro adhuc quadrimeſtri certatū litteris. Donec jam bellare volentibus, mitterentur, qui Regis nomine Sicana illi oppignorata præfectura, etiam de Cæſaris, *Tillius arma parat; Regis ad Tillium legati & Cæſari.*

anorum Responsis. ris, ut ajebant, voluntate, Tillio jussere, demigraret. Insolentius à Cæsarianis centurionibus responsum fuerunt: *haud volare in aëre milites posse, locum iis in terra dandum.* Hoc Rex in occasionē arripiens, statim Hameleam usq; ad Visurgim, viginti quinque millium exercitum produxit, oppida Circuli finesq; munivit, jam in omnia quasi medio furore belli sollicitus.

Wallenstenius in subsidium Tillio movet. Protestabatur tamen adhuc adversus Cæsarem se nihil moliri. Sed illa Imperatori larva videbatur, quo suis magis obnoxium armis Imperium inveniret. Igitur exercitus alius, Dux alius, Albertus Wallenstenius, missus à Cæsare, in subsidium Tillio veniebat.

Prodigia belli Danici. Et jam erant manifesti cruentiq; belli non manifesta minus cruentaq; prodigia. Vidimus aquas cruore congelatas, è trabibus distillantes Sanguinis guttas. Panes quorundam, mensæ, ocreæ, sanguinem sudavere. Visæ in arboribus natæ fruges, quasi hominum ingemiscens nequitia indigna illis terren foret. Et (quid evidentius?) visi in aëre confligentes exercitus; mox in terra conflictus.

Danis

Dani, limites Circuli excedentes, ad Huxariam munitionem ſtruxerant, hanc ſuis importunam cervicibus, ut quoddam jugum, Tilliani aversantur. Inſurgunt itaq; impetum faciunt, præliantur, expugnant. *Belli initium 10. Iul.*

Hoc belli initium, & quem porro finem habiturum eſſet, quaſi de induſtria, antequam finiretur, Fortuna patefecit. Sub crepuſculum veſpertinum curioſe Rex Hameleenſes luſtrabat excubias, & eſſe crepidines, rei tormentariæ aſſervandæ, ſub vallo neſcius, ſecure equitabat. Sed parum ſolidi aſſeres equitantem Regem non ferebant, ruptisq; tabulis, prolapſus equus, præcipitem ſecum Regem, viginti novem pedum ſpatio, in ſubjectam foſſam rapit. Rex poſt duas demum horas compertus eſt vivere, toto tamen triduo inter morientes fuit. *Lapſus Daniæ Regis 20. Iul.*

Quid aliud hic caſus Regis, quam (inſtar illius Flaminij, adverſus Annibalem, ad Thraſymenum) præcipitis illius ruinæ præludium? Immo ille, quaſi prima de Rege victoria, caſus fuit. Quippe conſternatus cũ eo exercitus, ingens terrarum ſpatium brevi emetitus, Ferdã usq; retroceſ- *Ferdam retrocedit.*

Cæsariani varia loca expugnant. ſit. Et quid aliud victus poterat? Omnem retro provinciam ſubigendã hoſti reliquit. Nec aliter hic accepit, &, veluti victo, ferociter inſtans, totis in Brunſwicenſem Ducatũ agminibus irrupit, oppida, arces, munimenta, ſui juris fecit, & totum fere Viſurgim ſuæ fecit poteſtatis.

Ruſticos cædunt. At, cum affligerentur nonnihil, armis induuntur ruſtici, & plus ab his, quam Dano milite periculi. Sed illi multitudine peſſundanti: & qui amplius quam pro conditione pugnaverant, pro ſua ſunt conditione puniti.

Nienburgum fruſtra obſidet. Bonum fortunæ curſum porro ſequi volens Tilli⁹, Nienburgum, quod fortiſſimus vir Limbachius tuebatur, obſidione cinxit. Sed hic nonnihil auſa adverſus Ducem Fortuna fuit. Regijs enim commeatum inferre, Tillianis contra prohibere volentibus, ingens ſubinde velitatio. Deterius plerumq; Cæſarianis pugnantibus, cum (amiſſis duobus, Gardo & Grotto, ſupremis legatis,) & à fronte, & à tergo, crebris tormentorum tonitruis, & præſidio urgerentur. Sic ad unum oppidum, brevi tempore, quatuor millia utrinq; cecidere.

Cum lentam ergo & laboriosam fore obsidionem Tillius videret, in aliud temp⁹ distulit, & Calenbergam conversus, obvia duo desultoriorum equitum (Dragonum vulgo) millia internecione delevit, & Calenberga jugum admisit. *Danos caedunt.*

Et jam victoriae Caesaris non uno exercitu urgebantur. Alia enim parte Dux Fridtlandus, Hallas, Halberstadiensem Diaecesin, & Magdeburgicam totam ditionem subjugavit. Anhaltinum quoq; Principatum ingressus, Dessaviam inprimis munivit. Ducesque ambo fluminibus incumbentes, Visurgim ille, alter Albim, sui juris facere aemulabantur. *Fridtlandus Hallas & vicina occupat.*

Magni quippe consilij animadversum est, primis bellorum motibus, fluvios vendicare, ut, separatis invicem Provincijs, hostes indagine cincti, & quasi in arido consistentes, una victi pugna, Regionibus integris excutiantur. Insuper victores, pronis armis, pronis aquis, annona, milite, commeatu currant, &, vehementium instar fluctuum, ruptis vallis & aggeribus, obstantia quaeq; rapiant; adeo ut, quae supra eminebant, humiliata, profundum mersa, nullum sui vestigium *Magni consilij fluvios vendicare.*

ſtigium, proſteritati monumentum, indulgeant.

Cæterum hucusq; occupationibus urbium, aut excuſſionibus certatum, cum de ſumma rei, pugna caveretur. Inſigne interim quoddam Tillij ſtratagema. Prope juncta ad Hannobriam erant caſtra: animadvertens ergo Tillius faciliorem in eam Danicorum caſtrorum partem, qua Fredericus Saxo-Altenburgicus, Obertrautius, & Jacobus Ufeldius junior diverſabantur, irruptionem, unoque tantum Leni fluvij ponte, reliquo exercitui unitam, aſſumptis quatuor expeditiorum militum millib⁹, ſubito pontem occupavit; ſufficientiq; præſidio munito, rejectis in ſubſidium venientibus copijs, tertio aſſultu eos expugnavit, & Fredericum Ducem Saxo-Altenburgicum, Obertrautium, & juniorem Ufeldium, incaſſum fortiter pugnantẽs, cum ſexcentis alijs trucidavit. Turbavit ea res, toto cum exercitu, Regem; maxime cum ab omnibus Obertrautius ſummè æſtimaretur.

Tillius partem exercitus Danici obruit. 4. Nov:

Sic prope Viſurgim Tillius, at majori Danorum clade ad Albim Wallenſtenius. Quaſi illatam à Tillio cladem,

cladem, in Fridtlandum Mansfeldius vindicaturus, quod ille in Danos perfecerat; hic in Cæsarianos æmulabatur. Sed eundem animum non idem sequebatur effectus. *Conatus Mansfeldij.*

Expeditis viginti militum millibus, tum alia ad Albim loca, tum Servestam quoq; Mansfeldius interceperat, mactatoq; præsidio, pontem Dessaviensem, ut, per eum traducto exercitu, in Silesiam (à Bethleno, qui jam impetum in Hungariam moliebatur, evocatus) arma promoveret, potissimum ambiebat. Et, licet eundem Fridtlandus, ejusmodi molimìnum non ignarus, in omnem eventum, probe munivisset, non tamen ideo Mansfeldius desperavit. Sed assultu gemino, à Præfecto loci Johanne Altringero, rejectus, tertio tamen ad oppugnationē redijt. Tum Fridtlandus, cum expedita manu, in subsidium adfuit, pontem tela linea, tentorijs deserviente, obnubilari præcipiens, ut, si quæ copiæ traducerentur, numerari non possent. Mansfeldius interim, omni ex parte, oppugnationi incubuit, sed viriliter agentibus præsidiarijs, magna iterum clade rejectus, inter cæteros Nienhovi- *Fortalitium ad pontē Dessaviensem oppugnat.*

 um

um quoq;, Hollandicarum copiarum præfectum, amisit.

Et jam, desperata expugnatione, recedere meditabatur. Wallensteni- us ergo, ut ille, qui oppugnaverat, etiam non evaderet, matutino tem- pore, copias, summo cum silentio, pontem traducit: & eandem muni- tionem egressus, instructa acie, in Mansfeldium irruit. Atrox tamen & anceps diu pugna; ut plane videre- tur, nescio quid, deliberare fortuna: donec, submoto Mansfeldij equitatu, tota in peditatum Fridtlandi moles. Et ille, re fortiter gesta, cum deseri ab equitibus se videret, recedendo paulatim, auxit Cæsarianis animos, & cedenti ferocius incumbentes, à Nienhovio adducta quatuor Batavo- rum millia internecione deleverunt. Universam porro aciem in fugam vertunt, & nil jam nisi mera cædes. Vix Mansfeldius infelix ductor eva- sit, & Brandenburgum, cum paucis copiarum reliquijs, se recepit.

Ceditur Anno 1626. 26. Ap.

Capta eo prælio tria millia, perie- re quatuor millia, signa militaria ra- pta triginta septem, & septendecim tormenta bellica in manus venerunt. Servesta deinde præmium victoriæ fuit.

Cæsorũ & captivorũ numerus.

Et

Et hæc eſt illa nobilis ad Deſſaviam pugna, ultra ſuam cladem proficua; cum & Erneſti Mansfeldij dignitas paulatim vileſceret, & diſciplinati Belgæ, Danici robur exercitus, cecidiſſent.

Iterum alio, ſuo ebulliente velo, Fortuna verſa vento, ab Albi Viſurgim, Cæſarianos læta reſpexit; quaſi de induſtria ſic adgubernante, ut, ne invidia vermicularetur, æqualiter inter Duces victoriæ dividerentur.

Videbat Mindam Tillius, clavem Brunoniæ, paucis ſubnixam præſidiarijs, hanc, poſt protractã aliquantulum obſidionem, vi expugnare placuit & ſubjugare. Sed hærebat in cervicibus Danus Rex: ergo ſuis oportebat etiam pugnare Conſilijs. Miſſa itaque, ad diſtinendum à tergo Regem, aditumque intercludendum, parte exercitus, ipſe alia parte acrius expugnationi incubuit. Sed major erat, quam ſperabatur, difficultas; cum non milites tantum, ſed cives, fæminæ, adoleſcentes, & puellæ, unà pugnarent, magnumq; concordia ſua damnum Cæſarianis inferrent. Sed quid tandem, adverſus tam potentem & felicem Ducem, una Urbs? Quid omni

Tillius Mindam expugnat. 29 Maj.

omni ope viduata civitas, cui etiam Danus Rex subvenire non poterat? Cessit ergo, & cum Tillius omnes in armis invenisset, omnes trucidavit. Pauci admodum in cryptis domuumque fastigijs abditi, expleta sævitia, auro vitam exorarunt.

Christianus Brunsuicensis Cæsarianis damnum infert. Remoram interim quandam Christianus Brunswicus Cæsarianis iniecit. Aberat, scribendis pro Cæsare copijs, Georgius Luneburgicus, ille in viduatam Duce Provinciam violentus irrupit, impositoque præsidio, porro progressus, legiones in Hassia Georgianas disciecit.

Moritur. 16. Junij. Ultimus hic erat extinguendæ scintillæ fulgor: nam ille mox, in Guelphonis arcem (Wolferbytum vulgo) retro pulsus, in febrim incidit, nec ante tamen animam, quam, quatuor ulnarum longitudine, duorum digitorum latitudine, vermem emisit; Ut, quid terrenus homo (cum per terras, Variè sparso ubiq; veneno, serpentis instar, serperet) sinu gestarit, natura testaretur.

Tillius cum Hassia Landt- Cum vero Christiano Brunswico Hassiæ rustici non parum subsidij attulissent, in hos, ut apertos Cæsaris hostes acriter invectus Tillius, omnes

nes exarmavit, arma abstulit, conventu, turbavit. Et, ne suorum subditorum incendium, correpto Mauritio Landtgravio (qui & Philippum filium, in exercitu Danico Regi militantem, habebat) nimium indulgentem consumeret, tempestivius de pace cogitavit, & eam, fidelem spondens Cæsari operam, facilè impetravit. *gravis transigit.*

Sed ad Mansfeldium revertamur. Hic, post nuperam suam ad Dessaviam cladem, Administratoris Hallensis (qui hujus belli pars non minima fuit, adeoq; & à Cæsare postea proscriptus, Archiepiscopatu Magdeburgico excidit) copijs confirmatus, omnibus, Francico instructus auro, duorum mensium stipendio, rursus animum fecit. Statimq;, alia via, per Marchiam, cum Johanne Ernesto Vinariensi Duce, quindecim tormentis, & sedecim bellatorum millibus, impetrato ad Francofurtum ponte, Viadrum transiens, in Silesiam movit. Ita quippe inter Danum & Bethlenum convenerat, ut, uno tempore Silesiam invadentes, ad vigesimam Iulij diem, exercitus jungerentur. Sed, Bethleno non comparente, Mansfeldius cum Vinariensi, Lischbitzio, Iegerndorffio, *Mansfeldius in Silesiam, & inde, in Hungariam movet.*

dorffio, & Troppavia, occupatis, & Joachimo Mitzlavio, exercitus illius Legato, ad illarum urbium defensionem, cum copiarum parte, relicto, in Hungariam festinavit. Et, Trenschini Wagam fluvium trajiciens, atque arce, (cujus Comes Elias hasius Bethleni partes sequebatur) præsidio firmata, Bethleno se conjunxit. At sequebatur velociter à tergo Wallenstenius, & alia via in Hungariam veniens, & Bethleno Gabori, & Mansfeldio, & Vinariensi, immo & Turcis, & Tartaris, se opposuit; tanta consternatione omnium, ut, uno in alterum culpam reciente, nata paulatim diffidentia simul inutiles, Gabriel etiam pacem anhelaret.

Wallenstenius sequitur.

Rex Daniæ ad Calenbergam cæditur.

Tillius interim, post expugnationẽ Mindæ, Gottingam obsidione cinxerat. Christianus ergo Rex obsidionem obsidione soluturus, præmissis quadraginta septem equitum signis, Calembergam corona circumdare festinavit. Revelatum erat Tillio Consilium, & Furstenbergium Comitem, triginta sex equitum turmis, misit in occursum. Et hic tam vehementer in Danos invehitur, ut ne totum quidem

quidem sustinerent impetum. Octingenti, cum Feirtagio Tribuno, & Præfectis septem, equites cecidere, viginti unum signa ablata, abactiq; plures equorum manipuli.

Non fregit ea res, sed accendit Regem; adeoque in ultionem exarsit, ut, contractis undecunq; copijs, excutere Tillium obsidione tentaret. Et hoc quidem successu suo non caruit. Tillius enim insufficientem viribus se cognoscens, & obsidionem deseruit, & tempestivius, sese, in tutiora loca recepit. Tum Rex vicisse ratus, usq; in Eisfeldium movit, adeoque & de invadenda Thuringia deliberavit. Sed apparatu Tillij in aliam considerationem adductus, Duderstadium serecipiens, in Brunswicensem Ducatum regrediebatur. Verum-enimvero, coactis in unum copijs, sequebatur à tergo Tillius, & semel ad Sesam Regem assecutus, desultoriorum equitum sexcentos, pedites quingentos delevit.

Rex in Tillium.

Tillius in Regem.

Pudebat nobilem generoso animo Regem suos à tergo fere sine pugna deleri. Ad Lutram ergo, munitissimam arcem, loco, ut multis quidem videbatur, incommodo, struxit aciem.

Pugna ad Lutram 27 Aug:

tem. Nec consilio audaci defuisset fortuna, nisi plerisq; equitibus mens leva fuisset. Certè tertio concursum, tertio exoneratæ bombardæ: & novissime inusitatum hoc Tillij oculis nefas, quatuor integræ legiones, probata diu veteranorum manus, gradum retro dedit, quod etsi nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis quam virtute resistere.

Nutat Cæsariana acies. Et jam eam Dani impressionem faciebant, ut ad ipsa tormenta Tilliana penetraretur, atq; Dux ipse propemodum victoriam desperaret. Itaq; Tillius similis furenti, primam in aciem procurrit: ibi prensare fugientes, confirmare, per totum deniq; agmen, oculis, manibus, clamore volitare. *A Tillio confirmatur.* Laudatur maxime ejus, ad grandium machinarum explosores, prudens vox: *Cautius obsecro & ne frustra jaculemini.* Penetravit dictum; adeoq; oportune in irruentes detonuere, ut, quasi magna grandine fruges, perderentur.

Fortiter pugnat. Erexit ea res Cæsarianis animos, & ipsæ fugientes antea quatuor legiones in prælium revertebantur. Dumq; heroico facinore prioris fugæ ignominiam abolere nituntur, ul-

tra fere vires & viros pugnabant. Et tanta comitabatur pugnantes felicitas, ut ad tormenta non fugisse potius, quam stratagemate usi fuisse viderentur; dubioq; procul victoriæ tandem causa fuere.

Imploratus frustra à Rege (qui multus in eo prælio fuit, & inter postremos pugnans, ter equum mutasse, bis pugnam restituisse dicitur, & ad sudorem & raucedinem usq; fortiter dimicasse) fugiebat equitatus, miserè pedites cædebantur. Nec fere possibile illum fugientium, vulneratorum, occumbentiumque luctum, eiulatum, confusionem, aperire. Cum enim difficultatem victoriæ Cæsariani pensarent, cruentam faciebant. In Sylvas fugiebant, frameis dividebantur. Arbores ascendebant, ut volucres jaculabantur. Vepribus se occultabant, hastis conficiebantur. Sic octo Danorum millia periere. Inter occisos autem, Philippus Landtgravius Hassiæ, Generalis equitum Magister Fuckfius, Tribunus Bersabeæ, Pentzius, & totius exercitus annonæ Præfectus Pogwitz. Tria millia capta, triginta tormenta bellica, & nonaginta quinque militaria signa, à Cæsarianis ablata sunt.

Dani caduntur.

Cæsorũ & captorum numerus.

Hoc

Hoc prælium Romanum Imperium omni Danico metu liberavit, omnemque, haustum antea, Danicum metum, in ipsum Daniæ sinum refudit, ipsas tandem istius vomitus reliquias male digesturus.

Rex trans Albim fugit. Rex à prælio in Guelphonis arcem se recipiens, ibi aliquanto tempore latuit. Inde, advenientibus Cæsarianis, trans Albim fugiens, ancisarum copiarum reliquias recollegit. Tillius autem obvias arces & oppida, adverso prælio cōsternata, passim subjugavit.

Dux Brunswicensis cum Cæsare transigit. Dux Brunswicensis ergo, cernens de sua jam agi Provincia, ejurato Regis obsequio, victorem Cæsarem respexit, totamq; Brunoniam ejus permisit obsequio. Quin & Guelphonis arcem, & alia suæ ditionis loca libenter tradidisset, sed illa suum non jam Ducem, sed Daniæ regem audiebant. Ita mali consilij est, suas munitiones non suis, sed alienis præsidijs occupare, & extraneum terræ suæ Dominum facere, ut, cum velis cedere, non possis, cum velis vincere, ridearis.

Dani in Cæsarianos movēt. Totillatas sibi clades velle Rex vindicare præsumpsit. Deduxerat, appropinquante hyeme, Tillius in hyberna copias, & restauratis nonnihil

viribus,

viribus; decem peditum, quatuor e-quitum millibus, in Tillium, Dani movebant; jactantes paucis se diebus omnia nuper à Cæsarianis occupata loca, recuperaturos. Hinc agricolis, ne migrarent, imperatum, quippe tempus adesse, quo, excusso Hispanico jugo, pristinæ libertati restituantur.

Quid porro? Ferdam obsidione cingere paraverunt, parvum ad servandas vigilias propugnaculum, triginta fistulatoribus munitum, frustra opugnaverunt, molam lignariam exusserunt, pontem mutilaverunt; mox panico timore correpti, multis neglectis curribus & equis, summa festinatione discessere. *Ferdam obsidere nituntur.*

Inde ad arcem Hoiam, ne vallo quidem munitam (nempe quam paulo ante Comes Anholdinus, viginti quatuor horarum spatio, sexaginta tormentorum globis, ad deditionem coëgerat, munitionesque destruxerat) septem diebus hæsere, &, immissis ultra mille tormentorum globis, quatuor frustra fecere assultus, &, centenis aliquot amissis, Rex quoque cum filio suo vulneratus est. Cum magnis tandem hiatibus ruinam arx *Hoiam expugnant.*

minare-

minaretur, eam, non compulsi exter- na vi, sed ruinæ metu, præsidiarij dedidere.

Cum magno timore recedūt

Ingens iterum apud Regios metus & tanta festinatione discessus, ut quisq; (quemadmodum in effusa fuga) primus esse satageret, &, Ubi pons non erat, ad umbilicum aquas emetirentur; donec ad pristinas Stationes, tuta loca rediere.

Quid in hac expeditione mirere primum? Præsumptionem Danorum, cum nihil efficerent? Illum timorem, cum hostis non esset? An vero effectum, cum exusta mola, mutilatus pons, & expugnata sine munitione arx, ultra mille viris, insuper & vulnere Regis & Principis vindicarentur? Sed hæc Fortunæ ludibria sunt, victorias non nostris viribus, sed suo metiri arbitrio.

Mors Mansfeldij.

At jam si æqua, sine livore, Duces Fortuna vellet, Fridtlandi bene gerendæ rei vices erant; & fuerunt. Non defuit enim suis Mansfeldius quin perirent. Hic in Hungaria Transylvanis conjunctus, negotium pacis à Bethleno (tum ob diffidentiam mutuam: tum & Daniæ Regis, ad Lutram, intellecta clade: tum etiam

quod

quod à confœderatis omnibus, promissa subsidia sibi semestria, ducentorum quadraginta millium imperialium, non soluta quereretur) cæptum, discutere nitebatur. Sed, incassum laborare se videns, abdicata militia, per Turciæ fines, Venetias iter instituens, in via defecit.

Idem, post Mansfeldium, Johannes Ernestus Saxo-Vinariensis tentans, in præsentia trium Bassarum, hoc saltem obtinuit, quod Bethlenus, manu data, scripta, nec non Sigillis roborata promiserit, si pecuniaria sibi subsidia juste solverentur, & Danicum duodecim millibus, tota, hyeme, in Silesia perseverarent, se pacis cum Cæsare transactionem ea cautela concepturum, ut eam, pro libitu, rumpere, & hostilia reassumere posset. Idque se fide bona & Christiana reapse præstiturum, &, sub initium Maij Anni sequentis, cum Turcarum & Hungarorum viginti millibus, Danicis in Silesia copijs adfore. Itaq; Vinariensis, dum in Silesiam reducere copias nititur, febri petechiali correptus, & accinctus tamen itineri, antequam currui imponeretur, adhuc in in Hungariæ montibus devixit. Exer-

Mors Vinariensis.

Mansfeldici in Silesiam reversuntur.

citus autem cadaver ſtipans, in Sileſiam deinde regreſſus, hyemavit. Adeoq; Daniæ Regis, (jam Bethleno per cambiū ſatisfactum, tam de ſumma Stipendij debita, quam de numeranda in poſterum, aſſerentis,) litteris confirmatus, non tantum tota hyeme conſtantiſſime perſeveravit, ſed &, ſubipſis nivibus, Coſelium intercepit.

Fridlādus in Sileſia Liſchwitziū recuperat. Anno 1627. In Majo

At jam Fridtlandus, Tranſylvanico confecto bello, victorem exercitum in Sileſiam quoq; tranſtulerat, &, ſub initium Maij, in Regios, Bethleni ſubſidia fruſtra anhelantes, arma expedivit. Liſchwitzium primum erat quod reſiſtere auſum fuit. Itaq; grandibus quaſſatum machinis, non ſine cruore partium, jugum admiſit: & præſidiarij, in ultionem pertinaciæ, militiæ Sacramento adacti. Iagerndorffium diebus aliquot pariter obſeſſum, civibus direptionem bonorum pecunia redimentibus, deditionem fecit.

Et Iagerndorffiū.

Troppaviam & Coſeliū obſidet.

Inde Troppaviam (quam Marquardus Ranzovius, ter mille peditibus, & quadringentis equitibus, occupabat) Wallenſtenius converſus, obſidione cinxit. Cum autem munitiſſima urbs, fame potius, quam ferro, humi-

humilianda videretur, ad eam parte copiarum relicta, ipse cum altera ad potissimas Danorum, in Silesia, copias, Coselium movit. Quod ut Mitzlavius legatus sensit, Joachimo Carpezonio, cum sex mille peditibus, commendata urbe, ipse cum quatuor millibus equitum ad Hungariæ fines, Gabeloncam fugit; ibi Coselianæ obsidionis eventum, & succursum Bethleni, si saltem vel tum in summo periculo conpareret, præstolaturus. Sed verissimum illud apparuit, quod à magni nominis viro audire me memini, *Bethlenum Gaborem, & amicos semper, & inimicos fefellisse.*

Wallenstenius interim, tota exercitus sui mole, Troppaviam & Coselium simul urgebat. Et hoc quidem jam suum Mitzlavium animo sequebatur. Itaq; pacisci volentibus una maxime præscripta conditio est; ne sex mensium spatio in Ferdinandum Cæsarem arma resumerent: reliqua permissa libera. Diu, post Coselium, Troppavia deinde non restitit, & quia desperandum erat subsidijs, ijsdem, cnm Coselio, conditionibus, jugum accepit. Sic Dani tota dejecti Silesia, cum Bohemiæ prius vanè minarentur. Ergo *Silesiam totam recuperat Mens. Iulio.*

Ergo juncti, Mitzlavius, Baudisius, Holkius, & Ranzovius, in Marchiam festinant, Durlaceno se juncturi. Sed eos Comes Merodius & Pechmannus, Præfecti à Fridtlando missi, Bernsteinij, in Poloniæ finibus, assequuntur, & consertis strenue manibus, cædes Danis, Cæsarianis victoria cessit, & liberati magni nominis Silesiorum captivi: sed eorum libertati sua morte Pechmannus parentavit.

Dani cæduntur.

At quam æqua, quam benigna, in utrumq; Ducem Fortuna! Cum Fridtlandus Hungaricis, Turcicis, Silesicis victorijs densus, ad Tillium properaret, ne jungeret verecundum alterum, sine recenti victoria, Ducem, novo favore Tillium prosequebatur. Hunc, Danicis Albim, Visurgim, & Havelam flumina insidentibus, annonæ caritas infestabat. Pudebat nobilem tot victorijs gloriosũ Ducem, quem arma non vicerant, fame vinci. Itaq;, cum indignabundo milite, ad aperiendum armis iter, Albim versus movet. Ft favit ea, ut videbatur, Limpha; tantumque, solus adventus Ducis, terrorem peperit, ut timidè, qui cis fluvium erant, desererẽt commissa loca Regij. Tillius ergo, occasione

Tillius Albim & Havelam superat 10 Aug:

ſione lætus, miſſo, eodem tempore, ad ſuperandam Havelam, Georgio Luneburgico Duce, antelucanis horis, non procul à Boutzenburgo, jungere Albim ponte cæpit: quo animadverſo, Dani, qui trans fluvium erant, reſciſſo ponte, munitionibus & propugnaculis omnibus deſertis, pavidi arripuere fugam; tam pravo cæterorum, qui in Monte ad Havelam erant, præſidiariorum exemplo, ut & illi, quamprimum Georgij Luneburgenſis aciem adverterunt, unà fugerent, &, cum toto Danorum exercitu, Balthicum verſus mare, ſe reciperent. Sic utriusq; ripæ, fluvijq;, jam potens Tillius, univerſam trans Albim Germaniam, horribili multitudine militum, inundavit. Sequuta mox ingens fundi cujusq; calamitas, cum eſſent omnia, quæ Cæſariani viderent, hoſtilia, & juſta, quæ, raperent, ſpolia.

Marchio Durlacenus interim (qui poſt ſuam, Wimpfenam inter & Heilbronnam, cladem, hucusque Cæſaris hoſtis, huic etiam bello Danico ſe miſcuerat) contractis Sileſiacorum, Carpezonij, Baudiſij, Ranzovij, Holkij, & Mitzlavij reliquijs, in Megapolitanos

Marchio Durlacenus in Wagriam fugit.

politanos duxerat. Sed, Wallensteneio superveniente, & passim Megapolim expugnante, in fugam versus, commissis vento velis, ad Wagriæ littora navigavit. Et cum Hierolimeniam applicuisset, facta ad Grotenbrodiam excensione, hanc saltem oram defendere nitebatur.

Tillius & Fritlandus conveniunt. Submotis ergo jam longius hostibus, in occursum properant, Fridtlandus & Tillius, junguntq; fortes, Lavenburgi, manus, pari gloria, pari reverentia Duces, cum, rerum gestarum magnitudine, starent, mutua alter alterius, admiratione defixi.

Varia loca obsident. Igitur, ad insequendum hostem, mutuo aspectu animati, ne quid hostile à tergo relinqueretur, Guelphonis arcis, Comiti Papenhemio, mandata obsidio est. Nienburgum, eorundem jussu Ducum, Comes Anholdinus circumvallavit. Ipsi Duces (ad sinistram Tillius, ad dextram Fridtlandi legatus Comes Slickius, in medio Wallenstenius ipse) per Alstriam, in Stormariam, Holsatiam, Wagriam, maximis irrupere copijs, certatim jam omnibus, cum fortuna, Cæsarem respectantibus; Hamburgo etiam & Lubeca, Imperialibus, libe-

In Holsatiam movēt.

ris,

ris, & Anseaticis urbibus, fideliter ut oportuit, Imperatori suo, commeatu & annona, subvenienibus.

Tillius Pinnenbergã expugnat.

Pinnenberga tamen ausa resistere fuit, immo Tillium Ducum alterum vulnerare. Sed, cum arcem hic vicisset, quod majus fuit, seipsum vicit, & se vulnerantibus sanas & æquas deditionis leges dedit.

Wallenstenius varia loca & Bredenbergã Vi.

Wallenstenius Steinbergam, Wilsteram, & Segebergam, sub jugum misit, Bredenberga vero, dum nimium victorem distinet, provocavit suam ipsius, importuna fortitudine, ultionem. Ad extremum enim vi expugnata est, præsidiarijs omnibus ad unum trucidatis.

Slickio Durlacenum cadit. 14 Sept.

Nec feriabatur interim comes Slickius. Hic in Wagria Durlacenum assecutus, in prælium coegit: in cujus initio statim Silesij, & alij pleriq; auxiliares fugêre. Pugnatum tamen acriter ab Holsatico equitatu, Scotisq; peditibus. Sed eo ventum erat, ut nihil Cæsariani facerent, quam occiderent. Sic totus ille exercitus fere internecione deletus. Reliquiæ in naves rejectæ, Triginta duo tormenta, quadraginta vexilla rapta sunt.

Hoc uno sublato obice, universam,

Rendesburgum deditur. quaquapatet, Cimbricam Chersonesum, Cæsarianus miles pervadit, & populatur divites, tot annorum pace, terras. Ipse in Fioniam, deinde & Hafniam, recedens Rex, de bono quodam eventu, videbatur desperare; cum Rendesburgum, strenue hucusq; defensum, deditionem uti honestam faceret, ipse permisit.

Magna Slickij victoria. 18. Octob. Hærebant adhuc in Jutia, Calenbergij, Nellij, Baudisij, & Ottonis Reingravij legiones. Sed quaqua illæ fugerent, Cæsariani sequebantur. Itaq;, ad Alburgum tandem, in extremis Jutiæ circumvallatæ, cum exitum pariter & subsidium desperarent, Comiti Slickio, deditionem fecere. Binæ legiones peditum, tria equitum millia, triginta militaria signa, in potestatem venere. Quanta felicitas viri! Totus ab eo exercitus incruenta victoria, sub jugum missus.

Cæsariani totam fere Cimbricam Chersonesum tenent. Et jam quicquid terrarum inter Balthicum mare & Oceanum, inter Norvegiam, albim, & Visurgim, Cæsarianis domitum vel oppressum signis tenebatur. Cumque hostiles exercitus, qui cæderentur, deficerent, & in sua Chersoneso Cimbri servirent; immo ab ipsa Norvegia tenui duntaxat freto

freto dividerentur, more ignis, qui obvias populatus ſylvas, interveniente flumine, abrumpitur, pauliſper ſubſtitere. Cum vero nec mare jungi pontibus, navigiorumque defectu, armis neque bello, ad continentem ſuam revocari poſſe videretur, quaſi interveniente natura, indignabundi fremuere, &, candentibus in ipſas aquas miſſis glandibus, circa urbium obſidiones diſcurrére.

Stadam Tillius, Varij Tribuni Tychopolim, Torquatus Comtius autem Dux Guadagnoli Imperialium tormentorum Generalis, Crempam, tria munitiſſima oppida obſedere. Et Stadam quidem magni animi vir Carolus Morganius Anglus intraverat, &, rebus ſtrenue geſtis, magnum, ſua fortitudine, Ducem promittebat. Itaq; non ferro ſed fame debellari debuit, & obſidio in ſequentem annum protracta eſt. *Varia loca obſident.*

Nienburgum Limbachius defendebat, nec, quoad ille vixit, expugnari potuit: cum ſuam vero conſtantiam ſuo Sanguine conſignaſſet, ab Anholdino Comite moniti Centuriones, Luneburgico illud Duci tradidere. *Nienburgum deditur 16 Nov.*

At quaſi omnia tranferre in Cæſa-

Victoria Cæsarianorum ad Bremerfordam 28 Nov. rem festinaret Fortuna; ita ultro fere in manus victoriæ cadebant. Hærebat unicus adhuc in Bremensi ditione Nerbrotus: nec deerat, si animus fuisset, viro exercitus. Sed hunc aggressus Comes Anholdinus more fulminis, quod venit, percutit & abscedit, sic uno obtrivit incursu, & rapta citius triginta quinque vexilla, quam sibi postremi pugnare viderentur; adeoque, redacta in augustias ad Bremerfordam, unum equitum, tria peditum millia Sacramento Cæsari obligantur. Sequebatur victoriam una, excepta Stada, tota Bremensis ditio. Itaque & hujus expugnatione, Anholdino Comiti commendata, in Orientalem Frisiam, in Embdenses, Tillius movit, ut & Batavi timore correpti, à Brabantiæ finibus, vel præsentibus Cæsarianis armis, divertentur.

Arx Guelphonis deditur 9. Dec. Arx Guelphonis interim, inter omnia circumquaq; hostilia, tot jam mensibus, sola præsumens, ferro, igne, aqua, ad deditionem, à Papenhemio Comite, sollicitabatur. Et præsidiarij quidem, maxime intumescentibus aquis, Brunswicensi Duci eam tradere voluerunt, sed Papenhemius non admisit, & humiliatam, præsidio Cæsariano munivit.

Mox

Mox terrestres illi Germani, cum
paulatim jam obsidiones deficerent, *Cæsari-*
Rostochij & Wismariæ, comparata *animo ma-*
classe, Balthico se mari commiserunt, *ri se com-*
& nihil interesse virtutis ostendêre, *mitunt.*
equis an navibus, terra an mari dimi- *Anno*
caretur. Sed, cum numerosior esset *1628.*
Regia classis, tandem abstinuere mari, *In Po-*
& flexo in Pomeraniam agmine, uni- *mera-*
versam fere, Stralesonda & Stetino ex- *niam*
ceptis, occupavere. Quin & Rugiam *movēt.*
Insulam invadentes propugnaculis *Inso-*
firmaverunt: quorum unum cum por- *lentia*
tui Stralsondensium immineret, ni- *Strale-*
mium de sua libertate solliciti, inito *sonden-*
cum Daniæ Rege Consilio, summa vi *sium.*
fortalitium oppugnantes, tandem ex-
pugnavere.

Hoc initium rebellionis, & castiga-
re placuit. Ergo Johannes Georgius *Stral-*
Arnhemius Generalis Marescallus, ut *sonda*
obsideret, missus, cum duodecim ar- *obside-*
matorum millib⁹, acrius institit. Cum *tur.*
itaq; Stralesondensium animos pavor
occupasset, á pacis legibus non ab-
horrebant. Et factum erat, nisi Dani
auxiliares, urbe recepti, negotium
dissipassent..

Interim autem dum Stralesunda in *Stada*
Pomerania animos sumit, in Bremensi *deditur*
7 Maij.

 ditione

ditione Stada dimisit, & Carolus Morgani⁹ Anglus, fame ad humiliora compulsus, spondens se contra Cæsarem, integro semestri, arma non resumpturum, munitissimum oppidum; Jacobo Anholdino Comiti consignavit.

Wallenstenius Stralesondam frustra oppugnat.

Et jam ultra Albim nihil Christiano Daniæ Regi restabat, cum omnia Cæsariani, imo & Germanico vicina Oceano domuissent. Sed non eadem ubiq; felicitas, Wallenstenius enim in castra ad Stralsondam veniens, & expugnationem serio urgens, quinq; diversis vicibus, una nocte, assilijt, sed ingenti quinquies clade rejectus, porro jam cautius egit.

Rex Daniæ multa in Pomerania occupat.

Excitatus autem tam prospero Stralesondensium Successu, Danus Rex, hanc ipsam sedem belli destinavit; tutius æstimans è sua Jutia, in Pomeraniam, transferre arma. Mox, Holckio belli Duce, munitionibus Cæsarianos pellit, Bathum occupat, Wolgastum deditione capit, & Usedo-Insulam intrat. Adeoq; prosperis successibus proficiebat, ut in Pomerania magis, quam Dania, timendus videretur.

A Wallenste-

Festinat itaq;, ad extinguendum, primo damno, incendium, Wallenstenius,

ſtenius, ne aſcendentes, cum gloria, flammulæ, vicina corriperent, & eiusdem religionis animi calore accenderentur. Cum octo millibus ergo, ad Wolgaſtum, Regem aſſecutus, poſt quinq; certaminis horas, & maxima parte exercitus trucidata, in fugam vertit. Feſtinat ocius, cum ſuis, in urbem, inde in arcem mari circumdatam, nec ibi ſe credens, combuſto ponte, in naves Rex; ut quem feliciorem mari, quam terra, clades docuiſſent. Et in Daniam ſuam reverſus, nullam, de cætero, tentavit terra fortunam.

nio ad Wolgaſtum caditur 22 Aug.

Fridlandum Stralſundenſium pertinacia, potiſſima Danicæ hujus irruptionis cauſa, malè habebat; ergo denuo, prout potuit, obſidione cinxit, inſtat, & urget. Sed irrita omnia, cum vel ſitus urbem inexpugnabilem faceret. Quid enim his obeſſe obſidio poterat, qui, patente mari, omnibus copijs abundarent? Quid noceret urbi, quam, impetrata à Dano venia, jam integrum Sueciæ Regnum, immiſſo præſidio, propugnaret? Wallenſtenius tamen non deſperavit. Cum vero, ultra bellum Danicum, trahatur obſidio, nos omnia alteri bello reſervamus.

Fridelandus iterum, ſed fruſtra, Straleſondam urget.

Cæsarianis Crempa deditur 14 Nov.

E Pomerania ergo in Cimbricam Chersonesum migramus. Crempam ibi Annum & mensem Cæsariani obsidebant : nec spes erat expugnandi, nisi, quo commeatus fluebat, flumen occuparetur. Institere Cæsariani, & propugnaculis ad Storam expugnatis, cum Galli in obsessa urbe luxuriarentur, quod adhuc bienio suffecisset, bimestri consumebatur. Excepit ergo, ut oportuit, luxuria famem, & hanc sequuta deditio est.

Tychopolim deserũt.

Unam adhuc in Stormaria Tychopolim Cæsariani obsidebant. Sed illa generose defensa, cum varijs eruptionibus millia jugulasset, expugnandi desperationem, aperto mari, Cæsarianis peperit. Itaq;, crematis castris, alio Austriaci discessere.

Pax inter Cæsarem & Daniæ Regem Lubecæ initur. Anno 1629. 9. Iulij

Haffniæ interim tædium belli Regem invaserat, nec videbatur obscure moti pænitere belli. Et res eo ceciderat, ut nec ultra pergere Cęsariani, nec ille quicquã recuperare posset. Nihil utilius ergo videbatur, quam, quiescentibus armis, sancitam necessitate pacem, lege firmare. Primus, ut inferior armis & dignitate, Rex, suos, Lubecam legatos misit. Inde delegati Alberti Wallenstenij Ducis Fridtlandi,

landi, & Johannis Tzerclasij Comitis Tillij, Cæsaris nomine, advenere. Et hi quidem, quinq; mensibus tractatione consumptis, tribus fere legibus, tandem convenerunt. Ut Rex omnibus Saxonum Provincijs renunciaret. Cimbria, Schlesvigia, & quicquid Holsaticæ Domus hæreditarium, à Cæsarianis occupatum, redderetur; æterna vero dissidium oblivione sopiretur.

Et hic est diuturni belli finis, quem quo Dania vidit non lætior in ea dies, cum, quid bellum esset, experta, suavius jam illa, & majori cum dulcedine, pace frueretur.

BELLUM AUSTRIACUM *secundum.*

DUm ad Septentrionem, medio belli Danici fervore, Bellona sæviret, & in Oriente Bethlenus minaretur, non levior ad meridiem motus. Et quis sperasset, post devictam Bohemiam, Palatinatum, Transylvaniam, fractamq; cladibus Daniam, aliquod in semel debellata Austria superiore bellum? Atqui non leviter illa se concussit, & fuit in rusticis, quod ab ipso Cæsare timeretur.

Cæsar Ministros hæreticos & Ludimagistros, jubet religionem mutare vel Austriam. Anno 1625. 10. Octob.

Causa tantæ calamitatis, eadem quæ omnium, religionis diversitas, quam in alijs ut ferebat necessitas, in hæreditarijs suis provincijs Ferdinandus non tolerabat. Mandat itaq; patentibus litteris, cum bellorum omnium causasHæresis excitarit(quę, specie quidem conscientiæ libertatis, defensionem, re autem dominationem vendicans, inobedientiam, rebellionem, & in legitimi magistratus, supremiq; capitis, exitium, confœderationes, turbasq; perpetuo ciat) coactam Cæsariam Majestatem supremum jam eos patentibus hisce litteris admonere, ut Hæreseos suæ ministros, & Scholiarchas, potissimos harum turbarum buccinatores, dimittant. Ad hoc se octiduum eis indulgere; oportere interim eos religionem mutare vel Austriam.

Austriaci petunt mandatum revocari.

Dura hæc Austriacis visa conditio, percussitq; teli instar eorum pectora. Itaq;, bellorum motibus, & post paululum, Hungarica filij coronatione, Imperatore districto, de die in diem procrastinantes, tandem supplices direxere litteras, postulantes ut Cæsaria Majestas nonnihil de rigore illo remit-

remittere, & intolerabile mandatum revocare dignaretur. Legit supplicam Ferdinandus, non approbavit, constantiam suæ voluntatis aperte professus; adeoq; novis literis multo zelosius reformationi incubuit.

Itaq; rustici, ad primos Mansfeldij, & Bethleni, in Silesiam & Hungariam motus, vel conceptos, vel intellectos, arma corripiunt, & mandatum, quod prece, verbis, minisq; non poterat, statuere armis abrogare. Quod animadvertens Adamus Comes Herbersdorffius Gubernator Lintzij, contractis mille quingentis militibus, & adjuncto sibi carnifice, in rebelles duxit. Sed hi, jam decem millia congregati, Herbersdorffij militem in insidias tractũ, internecione deleverunt; vix ipso Herbersdorffio Comite Lintzium evadente. *Rustici arma corripiunt.* *Herbersdorfiũ cædunt.*

Hoc successu animosiores, Velsam, Stiram, Lambacum, Gemundam, aliasq; arces & oppida expugnarunt, & triginta, ex varijs locis, comparatis tormentis, populationibus, latrociniјs, ferro, & igne, omnia infesta reddidere. Credebantur plures, inter eos, nobiles esse; cum uno omnes tenore barba rasi, ad certam quoq; normam *Varia loca occupant.*

Eorum disciplina. normam capillos inflecterent. Quin & pullam multis vestem injecerant, & disciplina rusticam simplicitatem excesserat. Ergo & aditus in considerationem veniebant, occludebantur Danubij ostia, armabantur viatores, & plura hisce similia, quæ non rustici, sed exercitatissimi milites consuevere.

Cæsar eos ad pacem hortatur. Expergefactus igitur tam propinquo incendio Cæsar, monitoriales ad eos litteras direxit, &, dolere sibi, ait, quod, à seditiosis quibusdam invitati, tam facile tumultuarentur. Sibi quidem severe animadvertendi facultatem non deesse, malle tamen eos clementia quam armis vincere. Hortari itaq; à proposito suo desisterent, arma ponerent, unionem dissolverent. Si esset quod eos offenderet, sibi, aut Commissarijs suis aperiendum; sin minus, non defore sibi ulciscendi media. Malle tamen ipsorũ parcatur proli, parcatur uxoribus.

Cæsarem contemnunt. Quæ rusticorum superbia! Illi Cæsarem nec responsum dignati, jam quadraginta millibus, omnem populantes Austriam, nec secularibus, nec Ecclesiasticis pepercere: obviæq; arces & oppida, cedentia numero, passim jugum accipiebant. Er-

Ergo altera vice monendos Cæsar duxit, missisq; legatis, pacem paterne suasit. Illi delegatis arresto detentis, sex cives & rusticos, ne quidem ex suis, sed vicinia exoratos, Viennam misere, urgentes Cæsariam Majestatem, ut ab ipsa & Bavaro conscripti milites, ad unum omnes dimitterentur, exercitium religionis concederetur, tributum menstruum abrogaretur, si quid delictum æterna oblivione sepeliretur. *Eius delegatos detinent.*

Interim dum sui Viennæ hærent, tria navigia, armatis Bavarorum militibus plena, prono fluvio, Lintzium navigantia, invadunt, superant, mactatis omnibus, ad unum, militibus. Adeoq; jam suam prosperitatem non capientes, contemnere sibi Cæsarem posse videbantur. Nec herculè ferocius quicquam, aut petulantius felici vulgo; ut est enim passionibus suis impar, ita nimium, pressum nonnihil dejicitur: fortunatum, supra conditionem suam elevatur, æqua affectum rationis lance nescium moderari. *Bavaros Cædunt.*

Itaque prosperitas illorum, tractatum rupit, & prono victoriarum cursu Freistadium attigere, & expugnata *Freistadium expugnāt.*

urbe

urbe aditum sibi in Bohemiam usque aperuerunt: urbem autem omnis insolentiæ fecere subjectum.

Lintzÿ obsidionem parant. Cumque jam omnem, dempto Lintzio, Austriam supra Ænum haberent in potestate, unum illud Lintzium sinistro oculo intuebātur. Mox omnis in illam eorum intentio, cum habere se mutilum, sine capite, corpus indignarentur.

Itaque novum Schatlusio edictum exivit, quo omnes in Austria rustici, Domini, equites, & nobiles ad arma pariter vocabantur, inque castris bene cunctis instructi rebus, sub pœna mortis comparere jussi. Tunc quidem *Sursum deorsū omnia vertunt* domus, templa, & aræ, humana omnia atq; divina jura violata sunt: cum quæ cogitare quisq; poterat, facere auderet.

Litziū obsident Etjam pœnis maturi erant. Ergo Lintzium profecti, ad illud victoria hæsit, & obsidionem ad suam ipsorum perditionem fortuna vertit. Nam primo statjm exordio, cum ipsorum *Eorum Generalis occiditur.* Generalis Stephanus Fadingerus, opificio pilearius, minacibus cives literis, ut Herbersdorffium Comitem traderent, monuisset, tormenti globo pede multatus occubuit. Nihil illi

hoc

hoc casu turbati vehementius insti-tere, sed uno assultu jugulati sexcen-ti. Infelici hoc adhuc impetu attoni-tis Lobelius supervenit, mille quin-gentis eorum trucidatis, quindecim tormenta abduxit: mox Ebersber-gam expugnavit.

A Lobelio damnum patiuntur.

Efferati suorum strage rustici, qui-cunq; arma ferre possent, in castra coegerunt: & magna murorum parte quassata, tormentisq; diruta, noctem continuant & diem assultus. Nec pa-res fore præsidiarij videbantur, nisi resina & pice rusticorum interulas incendissent. Omnia rustici, imo mortem contempserant, unas illas metuebant torrētes cutem flammas. Et sicut incendia domos, ita rustico-rum animos humiliaverunt.

Assiliūt muniationes.

Cum damno rejiciuntur

Itaq; ab illo urbis calore ad medi-um milliare recedentes Boreali ven-to refrigerati, ut paterfamilias ab in-censæ domus ruinis novas ædes? ita illi, vindictæ cupidi, ex adustorum reliquijs novam obsidionem molie-bantur. Cum pulvis autem globiq; deficerent, ad agricolas, è regione Lintzij, legatos misere; perpessum pariter damnum, & de futuro pro-positum aperientes. Ocius illi quin-

Obsidionem deserunt.

que

que navigijs pulverem, globos, tormenta, viros, & ultra quam necessarium erat, Danubio crediderunt.

Herbersdorffio patebat facinus, missisq; trecentis silentio fistulatoribus, jussit certã ad aquas arcem clanculo insidere. Sub crepusculum vespertinum, dum obscurior paulatim aura urbi facinus subducere videretur, ad eandem arcem gubernaculo direxere naves, &, excensione, facta dum exportandis occupantur rebus, trecenti eos fistulatores invadunt, & plerosq; trucidant. Cum reliquiæ in navim, nitrato onustam pulvere, se recepissent, crebris illa fistularum fulminibus ignem concepit, omnibusq; aqua & igne consumptis, reliquas laceratas naves secum mersit. Sic tecenti illi ovantes in urbem rediere, ad quam, paulo post, septem militibus plenæ naves, videntibus licet & frendentibus rusticis, applicuerunt.

Damnum patiuntur.

Concludit hanc, novus eorum Generalis Achazius Willingerus sutor, Cæsarianorum castigare audaciam, & prædecessore suo ferocior, alio Duce alium fore effectum gloriabatur, publicatoq; decreto, totius Au-
striæ

ſtriæ nucleum virorum, ſub pœna mortis, in caſtra citavit, ut unà, unam expugnates urbem, Herbersdorffium cum ſuis ferro diſſipent & igne. Quid mirabilius? uno ſutoris edicto ultra ſeptuaginta millia convenere. Et denuo corona cincta urbe, adeo ſuas promovere foſſas, ut ſe invicem hoſtes palâ contingerent, proſtratisque magno hiatu mœnijs, præſidiarios continuo fatigabant aſſultu.

Linziũ denuo obſidens

Herbersdorffius, ut importunos luderet, ferociam ſtratagemate riſit. Tormenta in arce omnia ad illum murorum hiatum dirigit, & urgentibus impetum ruſticis, præſidiarijs, ut in civicas retro domus paulatim cederent, imperavit, donec erumpendi tormento ſignum faciat. Servat imperata miles, & inſtantibus ruſticis paulatim dilabebatur in ædes. Creſcit impugnantes animus, & obſeſſorum languore proficiunt: tandem oculis, tota oppidanorũ manus, ſe ſubduxit. Illi ad arcem confugiſſe rati, certatim magno numero ruſtici, applicatis ad hiatum ſcalis, aſcendũt, invicem, quaſi de ſua jam urbe, læti congratulantes, & gloriam primo occupatæ urbis invicem invidentes;

Herbersdorffius illos ſtratagemate decipit & affligit.

adeoq;

adecq; jam cum rixis & livore ingrediebantur. Ut comœdiam quandam ab arce Comes Herbersdorffius gestiens speculabatur. Usque sexcentis jam ingressis, signum tormento dedit. Tunc crebro tormentornm vomitu rusticos fœdavit, hiatum obseravit; ut àforis ingrediendi, ingressorum exeundi, nulli concederetur facultas. Exurgunt illico in agricolas, accepta tessera, milites, & magno fervore aggressi, fœdant omnes rustico sanguine vias. Nec facile quisquam ludibria, maximè Croatarum, scripserit, barbas vellunt & mystaces, auriculas & nares scindunt. Et deinde sexcenti illi generose ingressi rustici strangulantur, unis quadraginta exceptis, quos vix magno labore ipse Herbersdorffius Comes ab irruentium manibus vendicavit.

Interim illum occidentium & morientium tumultum, illum mutilatorum & mutilandorum ejulatum, audientes foris rustici, non omnia ingressis prospera suspicabantur: hinc attoniti, hærent paulisper immoti: Ut spiritum nonnihil recepere, metus successit. Fossis, vallo, & proximo urbi propugnaculo, relictis duobus

bus æneis tormentis, præcipiti fuga cedunt, quæ ocius præsidiarij occupavere. *Iterum obsidionem deserunt.*

Quam errat imprudens vulgus, quod omnia robore, ira, ferocia, non ratione metitur! quod omnia, ut fortitudinem, pro virtute habet! imperfectus ille vigor est, quem nisi ratio consiliumq; temperet, fortitudini licet aptus, audaciæ tali temeritatique consuescit, & pericula, dum inferre vult non cavet. Illa certissima est virtus, quæ se diu multumq; circumspexit & texit, & ex lento ac destinato provexit. Quid ergo? non effusos esse oportet impetus, sed temperatos, obedientes, & circumspectos. *Vulgarium error.*

Cæterum quadraginta illos agricolas Herbersdorffius Comes liberaliter habitos, humaniter allocutus est, & modo vita donatos ad suas suasit migrare domus, idemq; cæteris in exercitu persuaderent jussit: non enim se bello aut sanguine rustico delectari; eorum potius temeritati neciquе condolere, & quicquid acciderit ipsis, & porro contingeret, coram Deo mundoq; testari, non suam, sed eorum ipsorum culpam fore: optare tamen potius suum pro ijs sanguinem fundere, *Herbersdorffius captivos rusticos hortatur ad pacem.*

fundere, quam illorum delectari. Lenib⁹ hiſce ſimilibusq; verbis, non ruſticis tantum, ſed aſtantibus plerisque lachrymas expreſſit, illisq; quadraginta dimiſſis, dictorum in caſtris, memores eſſe juſſit. Fecere hoc eo fervore ruſtici, ut ſecum millia domum migrarent.

Lobelius geminâ clade ruſticos afficit. Audito hoc ruſticorum metu atq; diſſidio, Lobelius de improviſo eos invaſit, & jugulatis nongentis, undecim machinis & ingenti præda potitus, in tnta ſe loca recepit. Mox iterum duobus militum millibus, ad Ebersbergam, in decem millia invectus, diſſipavit omnes, breviq; tempore omnem illum tractum Cæſari conciliavit.

Reſtabant autem pertinaciſſimi omnium quadraginta millia, & addiderant ſuæ veneficia feritati: jamque moventes inſe, cum ſuis legionibus, LindLoum & Hubnerum Tribunos, internecione deleverunt; adeoque Lintzium iterum & Viennam ruſticorum terror afflabat. Certe Lobelio intolerabiles, uno reſiſtere Duce Cæſar non potuit. Additus ergo illi, *Comes Papen-* Bavarico inſtructus exercitu, Henricus Gothefridus Comes Papenhemi-

us.

us. Hic quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris: tum ut fera illa rabies (quam pro virtute rustici habent) paulatim consenesceret, & tyrones suos, quomodo, quandoq; pugnarent, instrueret. *hemius in rusticos destinatur.*

Ut opportunum ergo movendi pugnandiq; tempus advertit, nudum robur robori opponere stultum existimavit: sed considerans hoc in bello rationem robore potiorem esse, rudem fraudium & incautam turbam, dolo statuit & stratagematibus debellare.

Primo itaque motu, cum jungere suos Cęsarianis vellet, ut falleret propositum rusticos, inclusa parte copiarum navigijs, aqua simulavit, terra venit. Hoc autem rustici non putaverunt: sed Danubio incumbentes, octo diversis locis, dum vela exspectant, funibus catenisq; securum sibi reddidere flumen. Sed non ille Neptunus, Mercurius erat: Celeriq; demum pede ad Cæsarianos Lintzium advolavit. Sic fefellisse rusticos prima de illis victoria fuit: utq; deceptos se sero viderunt, serio indoluerunt. *Rusticos fallit.* *Lintzium venit.*

Papenhemius consumptis tribus

quiete

quiete diebus, conjunctis cum Lobelio viribus, magno animo in rusticos recta movet: eosq; ad Eferdingam

In rusticos movet.

assecutus, rite instructa acie, pugnandi copiam fecit. Nec cunctabantur illi: immo, furiosorum instar, cunctis contemptis glandibus, in Cæ-

Pugna.

sarianos quadam rabie irruebant. Et ingens periculum erat, cum fistulæ in veneficio duros nihil proficerent: adeoq; Generalis ipsorum Achaz

Rustici venefìcio duri.

Willingerus, magno ænei tormenti globo, septem passibus retro jactatus, sanus in prælium revertebatur. In eum tamen Cortenbachius Tribunus

Eorum Generalis cadit.

invectus, propria manu, minoris fistulæ globulo, per Dei gratiam, incantatorem confecit.

Eorum furor.

Quæ rusticorum audacia? quæ minæ? quis impetus? Accensi Generalis sui morte, vindicta luridi, tota vertitur in unum Cortenbachium moles: sed hic generose dimicans sustinuit impetum & repressit. Tandem vero, duobus acceptis vulneribus, acie excessit.

Rustici jam vicisse rati, ferocius instant. Tum illud egregium ipsius Papenhemij, quod, nutante in fugam exercitu, rapta fugientis è manu ha-

ſta, in primam volitans aciem, manu prælium reſtituerit. Precibus deinde, minis, oratione, & exemplo, adeo exercitum confirmavit, ut, duabus jam horis pugnantib⁹, rabie ſua & furore laſſi ruſtici terga verterent. Sed hos ſupra fere vires indignabundi milites ſequebantur, & qui glandibus globisq; non patebant, fuſtibus ferroq; patuerunt; ſic trucidata & occiſa quatuor millia. Mille, dum ad inſulam quandã fugiunt, Danubio merſi. *Tandem fuduntur magna clade. 10. Nov.*

Magna quoq;, hoc in prælio, Lobelij virtus enituit, qui hoſtes ſuis moribus ſuaque feritate aggreſſus, ad ipſa Eferdingi mœnia pepulit, & eorum corpora toto ſtravit campo. *Lobelij virtus.*

Senio noctis claves, urbis Eferdingij cives, in caſtra miſere, & relictis quinque majoribus machinis, fugiſſe rebelles indicarunt: mox, adulto die, urbem Cæſariani occupaverunt, datoque ſub Holſetiæ Duce urbi præſidio, Papenhemius in hoſtem perrexit. Transmiſſoq; Danubio in Herbersdorffij Comitis ditione obſeſſum oppidum, cedentibus ultro ruſticis, ſuæ libertati reſtituit. *Papenhemius Eferdingam occupat*

Hic altera, Papenhemio Duce, pugnæ procella deſævit; dum infeſtati majori- *Ruſtici ſtudioſis*

quendã Generalem legunt. majoribus tormentis rustici, non segniter aciem instruxere, creatoque novo, studioso quodã, Generali, multo vehementius sub hoc, quam prædecessoribus, insurgebant. Ille quippe magico carmini, è scholastico pulvere, orationem junxit, eaq; ruptis sæpe Schloppo buccis, verborum energia, imperitos earum rerum agricolas animavit; ut impatientes moræ vallo excedentes, ad prælium alta ipsum Papenhemium voce provocarent: nec segnius quam provocaverant, in venientem invecti, dextrum cornu, quod Lobelius ducebat, submoverunt. Et quicquid ille, quicquid Duces alij molirentur, nulla aut belli. Oritia, aut virtute, fuga sisti potuit pemnia enim intra rusticorum audaciam & ferociam fuere. Cæsus ergo cum pedite equitatus. Fugientes ipsa Gemundæ mœnia, (incassum præsidiarijs è superiori munitionum jugo detonantibus) ægre tuebantur.

Papenhemiũ ad pugnam provocant. Lobelium & dextrũ cornu in fugã vertũt.

Papenhemius interim, cum sinistro cornu, constantius præliabatur: sed mixtis invicem copijs, hostes tam vehementer urgebant, ut ducentis sui retrocedentes passibus de victoria plerique desperarent. Sed prudens Papen-

Papenhemiũ urgent.

Papenhemius trecentos fiſtulatores paluſtribus virgultis abſconderat: illi accepta teſſera deſtinato provide ſcopo jaculabantur, & recentes in laſſos certoque hoſte diſtrictos ferociter invecti, pronam ſtitere victoriam. Nec hiſce contentus, in ſuper callidiſſimus Genetalis, obſervato loci genio, binis lancea riorum turmis ima valle circumductis, mox terga pugnantium invaſit. Ita firmatis novo ſucceſſu animis, fugientes antea, vulnerati, & ſemimortui in prælium revertebantur: & renovata omni loco pugna, integris quatuor horis dimicabatur. Tandem cum à fronte ruſtici, à tergo, à lateribus urgerentur, parta una ferro via, glomeratis paſſibus fugiebant.

A Papenhemio gemino ſtratagemate decipiuntur.

At jam victores de Lobelio ruſtici triumphantes revertebantur, illis recentes, ſervatas in idipſum, copias obviam miſit: & ne ſui ſiniſterius quicquam de Lobelio dextroq; cornu ſuſpicarentur, adeoq; de ſuo vigore remitterent, cum medio fervore pugnæ fugere non vidiſſent, illud Dux aſtutus retro montem hoſtes ſequi, ſpargi juſſit. Sic ſui, dum Cæſarianos vincere putabant, vincere cæperunt.

Aliud Papenhemij ſtratagema.

Etjam alterius quoq; partis victoria nuntiabatur, missæ enim à Papenhemio copiæ in præda graves & securos (cum omnem Papenhemij exercitum deletum existimarent) validè impetum facientes adeo perculerunt; ut cum fugisse suos animadverterent, fugere tribus vijs inciperent. Sic tormenta, spolia, omnisq; præda recepta est, & Papenhemius integra potitus victoria.

Rustici vincuntur. 14. Nov:

Cæsorũ numerus.

Non æqua, pro pugna strages fuit, cum tanto tempore magnus alias deleretur exercitus: sed rustici magico suo carmine duri, difficilem non cruentam cladem fecerant. Sex millia tamen, dissipatis cæteris, interiere. Reliquiæ, venenatorum serpentium instar, divisæ licet, ad Reklabruggam in unum rursus coaluere corpus: nec reliquias diceres, sed integrum bellum: sparsæ enim magis quam oppressæ vires erant. Nihil ergo inter Eferdingam, Gemundam, & Reklabruggam, nisi quod acrior Cæsarianorum impetus fuerit, indignantium post binas clades recruduisse bellum, & duobus trucidatis millibus, pepulere hostem.

Iterum cæduntur. 19. Nov:

Tertio hoc à Papenhemio inflicto

vulnere, nonnihil vacillantes, non adeo difficiles ad obsequium Cæsaris fore videbantur, nisi studiosus ille, inescatus imperio Dux, efficacibus, ipsorum captu, verbis, animos invicem & sibi copulasset: hisce illi dementati, aut felicem ad victoriam, aut, si minus visum Superis, infortunatum ad cladem statuere sequi. *A Studioso ad constantiam moventur.*

Audivere Cœlites votum postrema largiti: quippe ad fatalem ultimi conflictus Campum prope Wolfseckiam tandem perventum est. Ibi aptum, à fuga defensioni, locum insederant. Generosus Comes Papenhemius, pridiana victoria ferox, & conficiendæ jam rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere: illi contra nectere moras & tergiversari. Candentibus itaq; tormentorum globis cunctantes infestat. Cætera quidem rustici, grandiores hasce grandines non tulere. Struunt itaq; indignatione quadam acies, insolentiam Ducis (ut ajebant) castigaturi. Lætus pugnandi facultate Comes, venienti occurrit hosti, fusumq; toties sauciumq; exercitum adortus, non facilius tamẽ vicit quam integrum & recentem. Magna enituit studiosi virtus, qui longe ultra *A Papenhemio ad pugnã provocantur.* *Aciem struunt.* *Pugna.* *Studiosi vir-*

 suum

suum exercitum in Cæsarianos provectus, infestus obviis, quosdam trucidavit. Speciosa res, si pro justa causa legitimoq; principe patrata fuisset. Sequebantur suum rustici Generalem, & grande periculum fuisset, nisi ille eorum Generalis, ille Studiosus, justas dedisset temeritatis pœnas. Siquidem, cum Vicario suo Bernardo Ekkero, vivus in manus hostium venit. Tunc frigidius instare rustici, inde cedere, mox, omni abjecta spe, apertè fugere. Hos assecuti pernicibus equis Cæsariani, omnes trucidarunt. Quinq; millia cæsa, septem tormenta capta, spolia, ut de inope tot cladibus vulgo, nulla.

Capitur.

Rustici cæduntur. 20. Nov.

Hac pugna cecidit ipsis belli concitatoribus animus, & pleriq; per Silesiam fugientes, viginti se Danico miscuere bello. Cæteros in sedes suas Henricus Gothefridus Comes Papenhemius, quasi greges in stabula pastor deduxit, & cum gratiam omnes certatim ambirent, pagi & oppida quadam æmulatione deduntur. Perq; totam supra Ænum Austriam, ne rursus aliquando coirent, distributa præsidia. In formidolosissimi vero belli concitatores paulatim animadversum. Quæ

Desperant.

Pagi & oppida Papenhemio deduntur.

Quæ autem gloria Papenhemij? cum tam parva manu tantam multitudinem cæderet? cum caperet plura millia aliquando quam haberet? cum tantum, quatuor præliorum victor, uno mense bellum conficeret? profecto si Romæ olim fuisset, triumphare potuisset.

BELLUM TRANSYLVANICUM Tertium.

HOc bellum mira Bethleni inconstantia, levitas, & ambitio fecit. *Bethleni ambitio.* Ille enim Catharinæ Brandenburgicæ honoratus conjugio, cum in sumptuosissimis, quas orbis universus suspiceret, nuptijs, duorum, Orientis & Occidentis, Imperatorum, aliorumque Regum Principumq; legati comparuissent, amplos homo sumpsit spiritus, & elatus animis ingentibus, totius Hungariæ iterum, &, si cederet, Europæ cupiditate flagrabat.

Incitabant præterea in id bellum, *Concitatores belli.* hinc Christianus IV. Daniæ Rex, & reliqui confæderati, quadringentis octuaginta imperialium millibus annue promissis: hinc infensus, nescio quam causam, Ferdinando Cæsari, Budensis Bassa.

Occaſio belli. Super hæc omnia, prono, ad imperia turbanda, viro, ſpem ac fiduciam faciebant Germaniæ diſſidia. Quippe, cum inteſtinis disjungeretur bellis, invitabat occaſio, nudumq; Imperij latus oſtendebant, procul bello Danico occupati, Fridtlandus & Tillius. Et ipſa, tot millibus, inſurgente Auſtria, Bavarus laborabat & Papenhemius.

Bethlenus in Hungariam ruit. Anno 1626. Iunio, Inter hæc Reipublicæ vulnera, & hos tumultus, repentè, quaſi captato tempore, in laſſos ſimul, atq; diſtrictos, ſubitus turbo Tranſylvanici belli, ab ultima veluti ſpecula orientis erupit. Primus ſtatim impetus belli in Hungariam fuit. Moravia deinde pari terrore correpta eſt. Nec cunctantur ad Ducem, à Cæſaris urbibus populisq; deſcitum eſt. Aderat, inſtabat, ſævitia quaſi virtute utebatur. Sic in proclivi erat, pluribus armatorum millibus, terram pavidam, diſcordem, & inermem, pervadere. Quin & Sileſiam quoq; reſpexit. Ibi, ad Vigeſimam Julij diem, Mansfeldium & Bethlenum jungi convenerat, ut paribus ſimul votis ac viribus in Bohemiam ducerent, & Frederico Regnum, Fredericum Re-

gno, vi, ferro, & sperata rursus Bohemorum rebellione, conciliarent.

Turcius Imperator, in fœderis exercandi socium quoq; ascitus, cum Janitzaris suis, alia parte in Hungariam ruens, Damaschium expugnavit, & jam majora, confœderatorum armis fretus, volvens animo, Novigradum pariter obsedit. *Turca Damascium expugnans: Novigradum obsidet.*

Quid, inter tot hostes, tot pericula, Ferdinandus Imperator? licet, à Septentrione Danicis, Transylvanicis ab Oriente, à Meridie Turcicis, & ab occidente, Austriacis subditorum armis, uno eodemq; tempore, premeretur, non tamen ideo desperavit. Sed, fiduciæ in DEum plenus, preces & litanias induxit: qua mente consilioq; (benedictus in sæcula DEus) inconcussus stetit. Sequebantur enim preces beneficia; jamq; fractus, ingenti prælio, Danus, & ad Dessawiam tantum non debellatus Mansfeldius, minus Septentrio timendus videbatur; Uniq; Dano Regi, uno exercitu, unus Tillius sufficiebat. Insuper Mansfeldio, instaurato exercitu, in Silesiam movente, suum Fridtlandus hostem à tergo sequebatur. Itaq; & Bethlenus, ad præstitu- *Imperatoris Ferdinandi constantia.* *Fridtlandus Mansfeldium in Hungariam sequitur.*

tam diem, in Silesia non comparuit, & Mansfeldius cum Vinariensi, Trenschini Wagam fluvium trajiciens, in Hungariam ad Bethlenum movit.

Novigradum obsidione liberat.

Wallenstenius autem alia via, in Hungariam movens, in Turcas Novigradum obsidentes, primo duxit. Et hi quidem, Christianorum adventu territi, obsidionem deserentes, Mansfeldio, Vinariensi, & Bethleno se conjunxere. Sed Fridtlandus parum mox interesse docuit, cum Transylvanis dimicaret an Hungaris, cum Mansfeldicis præliaretur an Turcis. Itaq; in omnes simul movens, tantam consternationem invexit, ut Bethlenus, licet majoribus copijs firmus, inducias unius noctis depreca-retur; immo, relictis impedimentis, adhuc inter ipsa induciarum commercia, ad tutiora confugeret.

Bethlenū fugere cogit.

Hic Tartaros in auxiliū vocat.

Tum Gabor, more suo, ad Tartarica etiam auxilia, retro conversus, à Chamo millia quadraginta obtinuit. Sed hæc à longe ostendit Fortuna, non dedit; ut, spe sua frustratus, majori dolore cruciaretur.

Tartari in Poloniam ruunt.

Siquidem dum illi è Tartaria sua, Transylvaniam versus proficiscerentur, ne sine victoria spolijsque veni-

ren

rent, in Poloniam impetum fecere: relictisque sex millibus, in munitis nonnihil castris, triginta quatuor millibus prædas tota Volhynia agunt.

Permisit Chmielecius, tum in eo tractu Polonorum Dux, luxurianti-bus frænum. Sed ipse ad eorum castra retro profectus, cinxit, assilijt, expugnavit; ita trucidatis omnibus, ut ne nuntius quidem cladis superesset. Manet in castris & obit omnia, Tartarico more, belli munia. *Polonorum Dux eorum castra expugnat.*

Revertuntur interim, spolijs graves, turmatim Tartari, & primã, primadie, ingressam castra turmam, internecione delevit. Mox alijs alijsq; eodem modo admissis, trucidatisq; turmis, totum illum exercitum, carptim ita fudit, mactavit, dissipavit, ut, omnibus receptis spolijs, de quadraginta millium, in subsidium sibi venientium, exercitu, de longinquo Bethlenus audiverit, neminem viderit. *Omnino delentur. 24. Octob:*

Omnis ergo, in se, Mansfeldio, Vinariensi, & Turca, spes erat. Sed (Fridtlando, adulta jam hyeme, inter hostes, frigora, pluvias, morbos, pericula, & mille incommoda alia, ad stuporem omnium, diutius in campo

Diffidentia inter Bethlenum, Turcas, Mansfeldium & Vinariens. usum.

perseverante, & jugiter hostibus suis imminente) diffidentia mutua simul inutiles reddebantur. Displicebat Bethleno, & Mansfeldio, quod Turcæ commeatum, annonam, & pabuli usus necessarios, sibi præriperent; Turcis, quod non amplius Transylvaniæ Dominus ipsis confideret; utrisq; quod Mansfeldius, & Vinariensis, non amplius illis sincera fide, adhærere viderentur.

Ergo Turcicus Imperator, Babylonica etiam expeditione distractus, copias revocavit: Bethlenus, desertis, Mansfeldio & Vinariensi, Ducibus, Cassoviam prius, inde, in Transylvaniam suam, retro cessit: Mansfeldius & Vinariensis in Hungariæ montibus perseveravere: Fridtlandus deniq;, cum in exhausta populationibus regione commeatu laboraretur, Tyrnam movit, & in Scuttana insula hyberna sumpsit.

Bethlenum moti belli panitet.

Tum Gabor, in quantas se difficultates conjecisset, quibus periculis se involvisset, & quam potentem irritasset hostem, reputans animo (maximè cum Daniæ Regis clades, aliæ super alias, nuntiarentur, pecuniaria sibi subsidia à confœderatis omnibus

non solverentur, Imperator Turcicus suos revocasset, & rusticorum essent debellatæ vires) mox universam in se Germaniam ruituram timens, certam judicavit pacem periculoso bello, & jam desperata victoria, potiorem.

Sed emolliendi Cæsarem, toties perjurus, difficultatem ipse fecerat. Per legatos tamen suos sollicitavit, & annuit Imperator, si Hungaria cederet: concitatores belli aperiret: Mansfeldium & Vinariensem dimitteret: amicitijs Tartari renunciaret: restitutionem, cum sua ditione, Damaschij, à Turcà impetraret: captivi, & à Turcis ad servitutem tracti, restituerentur, tum integræ conficiendæ rei legatos Posonium missurum. Assensit omnibus Gabriel Bethlenus, cum jam timere Cæsarem disceret, & quasvis conditiones judicaret bello potiores. *Cæsar illi pacis leges præscribit.* *Bethlenus acceptat.*

Ernestus Mansfeldius, dum frustra inchoatum negotium pacis impedire nititur, jam graviora metuens, Venetias procurrere instituit, traditisq; Vinariensi copijs, in itinere datum, ut ajunt, venenum visceribus ferens, corripitur dysenteriæ *Mors Mansfeldij.*

malo. Atque varia coquens animo, inter molitiones novas, in Hungaria Budæ versatilem emisit animam: quippe tum maxime laborant mali, ubi plurimum vitia miscuere, & in unum collata nequitia est. Cæterum nimis facinoroso Duci Fortuna clemens fuit. Oportuerat enim invisum Cæsari Imperioq; caput, in perniciem Germaniæ natum, tot, quot intulerat, cladibus vindicari. Sed nec sic quidem pares sceleri pænas effugisse censuerim, cum ipsum suum ipsius malum post mortem sequeretur.

Mors Vinariensis. Johannes Ernestus Vinariensis, dum, post Mansfeldium, apud Bethlenum, in præsentia trium Bassarum, idem, sed incassum, molitur, jam reducendis in Silesiam copijs intentus, subito, sancti Martini, in Hungariæ montibus, defecit. Moderatus, ut fertur, laudabilisque Princeps, nisi suas hæresi injustoq; bello, virtutes corrupisset.

Pax constituitur. Anno 1627. Interim, per Esterhasium Palatinum Hungariæ, & Archiepiscopum Strigoniensem, ex parte Cæsaris, per Miconem Ferentium, & Sigismundum Lomajum, ex parte Bethleni,

Posonij, pax dudum desiderata coaluit; Hungaria potissimum exultante, ut quæ, aut vincente, aut succumbente Cæsare, inter hos, & illos, misere semper patiebatur. *Menti: lanu.*

Verum-enim vero servavit imposterum illibatam Gabor fidem, ut qui nullum, seu vacante, seu varijs bellorum motibus districto Cæsare, sua Turcarum, Tartarorum, & Transylvaniæ mole, profectum facere suis cladibus didicisset; Et sua Ferdinandum fortuna tectum, quam nulli obnoxiam vulneri teloq; nosset. Cessit ergo & quievit. *Gabor servat fidem.*

CORONATIO FERDINANDI. III. *Hungariæ Regis in Regem Bohemiæ.*

INdixerat publica Regni comitia Pragæ Ferdinandus II. & veritus ne, si humanitus quid sibi contingeret, iterum hæretici Bohemiam turbarent, Imperatricem in istius Regni Reginam, Ferdinandum filium in Regem coronari voluit. Placuit Regni ordinibus. Itaq; Imperatrix Anno 1627. 18. Novemb: solenni pompa in Ecclesiam Cathedralem ducta, magnificentissime in Reginam coronata fuit. *Imperatrix coronatur. Anno 1627. 18. Nov:*

Dum

Dum sequentes deinde aliquot dies hastifragijs, flammis fusilibus, ludis equestribus, & similibus alijs solennitatibus consumerentur, tandem Ferdinandus Ernestus Hungariæ Rex, pridie, de more Regni, inauguratus, & viginti quinq; imperialium millibus, in coronationis sumptus, donatus, adulta sequenti die 29. Novembris, sub aureo cælo in eandem Ecclesiam ductus, sub initium sacri gladio accinctus est. Inde corona debito capiti imposita. Aureum novissimè pomum & sceptrum manus impleverunt, congratulantium voces Ecclesiam, grandium machinarum boatus, omniumq; campanarum sonus urbem. Sub Apostolico Symbolo, à novello Bohemiæ Rege, quatuor creati equites. Sub offertorio, recepto more, panem & vinum obtulit. Sub communione sacratissimum CHristi corpus reverenter sumpsit. Nec quicquam, quod ad pietatem, ille, nec Bohemi, quod ad morem, solennitatem, magnificentiam, & pompam, facere videretur, omiserunt.

Ferdinandus Tertius coronatur. 29. Nov.

Sic Ferdinandus Tertius, jam Hungariæ Bohemiæq; Rex, ad Imperium

paula-

paulatim præparabatur, quod ille tandem fortitudine meruit, & legitima electione accepit.

BELLUM MAGDEBURGENSE primum.

MAgdeburgum nobilissimum & opulentissimum ad Albim emporium, ad eam, oportunitate loci, paulatim potentiam crevit, ut Imperatoribus sæpe grave, illusis eorum conatibus, suam multis sæculis virginitatem illibatam conservarit. Hoc Archiepiscopis olim subfuit, & Ecclesiastico Præsuli jugiter domi serviebat. Sed, dogmate Lutheri gliscente, & in illa urbe vermiculante, imminuta paulatim Ecclesiastica dignitas, ut tandem vicinos, suæ religionis, principes, elevarent in Administratores. Adeoq; jam (proscripto nuper à Cæsare, ob rebellionem, & fervens, pro Rege Daniæ, in Imperatorem, studium, Christiano Guilielmo Brandenburgio Marchione) Augustum Saxoniæ Electoris filium, in caput suum elegerat.

Magdeburgenses Saxoniæ filium in Administratorem asciscunt.

Non consensit Ferdinandus Cæsar, periculosa ejusmodi exempla (cum post transactionem Passaviensem

Cæsar non consentit.

Archiepiſcopatus ille, in hæretico-rum manus deveniſſet) in conſe-quentiam nolens trahi.

Leopol-dus Guilielmus à Pontifice Archiepiſcopus nominatur. Interim Romanus Pontifex, in ſua re, jus ſuum arripuit, & juniorem Cæſaris filium, Archiducem Leopol-dum Guilielmum Archiepiſcopum deſignavit. Poſſeſſionem ille tamen, ſtante adhuc cum Saxone controver-ſia, non ſtatim apprehendit. Sed in ditione præſidia diſpoſuit, ut, ſi quid Magdeburgenſes, in Saxonem vici-nia & religione proniores, molirentur, inhærenti cervici milite inſolen-tia plecteretur.

Magdeburgenſes in Cæſarem Anno 1629. Exacerbati moleſtia cives, ad Fridtlandum Guſtraviam navigantia, omni commeatu plena navigia, diſſi-mulante magiſtratu, ſpoliavere. Inde in Croatas converſi, multos variis e-ruptionibus ceciderunt, præſidiis Cæ-ſarianos ejecerunt, & ſuſpecta urbi lo-ca demoliti, ſuæ, quantum poterant, ſecuritati proſpexere.

Obſidentur. 22. Mart: Male accepit Fridtlandus facinus, miſſiſq; illac legionibus, urbem ob-ſidione clauſit, & præſidium ut admit-teret, imperavit. Dura res Magdebur-genſibus viſa, & tueri ſtatuere ſuam, igne, ferro, morte libertatem: repe-

titiſq;

titiſque eruptionibus magna intulerunt Cæſarianis damna.

Hanſeaticæ urbes ut mediatrices ſe interpoſuerunt? ſed, cum nullas urbe recipere copias vellent, diſcuſſa tractatio eſt, & acrius eruptionib⁹ & impugnationibus certatum. Donec iterum Magdeburgenſes fatigati ſupplices miſere legatos. Hi cum Papenhemio tractare juſſi, cum præſidium fuiſſent deprecati, quinquaginta imperialium millia Fridtlando dare concluſerunt. Sed Hic, interventu quorundam Principum, emollitus, obſidionem ſoluit, pecuniam contempſit. Et quoniam ſub Imperatore ſe humiliaſſent, hanc Cæſari ſubmiſſionem auro potiorem dixit. Irent itaque, obedirent, in ſui mali authores adverterent: non defore gratiam Imperatoris & ſuam. Sic ſua illi urbi reſtabilita libertas.

Hanſeaticæ urbes pro pace fruſtra laborant.

Fridtlandus obſidionem ſolvit. 9. Octob.

BELLUM HOLLANDICUM.

Belgæ & Batavi liberæ olim gentes fuere: cum illi, Floro & Cæſare teſtibus, pro libertate pugnaverint: hi, Claſſico & Civili Ducibus, authore Tacito, libertatem tutati, multis Romanos præliis fregerint. Vtriq; poſtmodum

Belgæ & Batavi olim liberi.

dum à Francis debellati, nobilissimum Austrasiæ regnum fecere. Inde in multas scissi ditiones, singulis singuli constituti dynastæ. Hinc Civiæ, Geldriæ, Brabantiæ Duces. Flandriæ, Lovanienses, Hollandiæ, & reliqui Comites.

Inde sub Principibus.

Legitima tandem, per centenos aliquot annos, successione, non bello, nec armis: sed (quod est æquius) conjugio & hæreditario jure, per Philippos Audaces & Pulchros, in unum Carolum Quintum Imperatorem & Hispaniæ Regem, septendecim cecidere Provinciæ. Hic Ferdinando Primo fratri Romanorum Imperium, Philippo filio Bruxellis inaugurato, Hispaniam Belgarumq; Provincias vivens resignavit; adeoque Philippum Secundum Hispaniæ Regem fecit.

Septendecim provinciæ ad Carolũ V. devolutæ.

Sub hoc in Belgium Calviniana se Hæresis insinuavit. Et mox, quod est affine huic, per Guilielmum Aurasiæ Principem Hollandiæ Gubernatorem à Rege & suo Duce decessio. Hinc illæ octuaginta annorum turbæ: Hollandia suum Gubernatorem, hæreticis suum fautorem sequentibus.

Hæresis in Belgio & rebello.

Erant autem, adversus tanti Regis

vires,

vires, prȩsidia secessioni comparanda. Itaq; in Angliam ad tum regnantem Elisabetham, & in Franciam ad illum Regem, pro subsidio missi legati: & ab utroque, innato in Hispaniæ Regem odio, & cum eo tunc temporis belligerante, facile impetratum. Adeoq; eorum favore Batavorum brevi sunt stabilitæ vires; ut, instituta quadã Republica, Status, sub Aurasiæ Principe semper, eorum belli Duce, qua armis qua deditione, Frisiam, Vltrajectum Transiselaniam, Geldriam, Zutphaniam & Selandiam, sibi adjunxerint; Vi conantes, quam olim sub Romanis habuerant, extorquere suo Regi libertatem.

Belgæ ab Anglis & Francis defenduntur. Rempublicã formant.

Cum autem Ferdinandi Secundi, in dies proficientem, suspectam haberent potentiam (tum quia imperij Provincias Iuliacum & Cliviam occupassent, tum etiam quia sociandas cognato Regi vires verebantur) operæ pretium duxere, civilibus eum continuo distinere bellis. Hinc in Ferdinandum Fredericus Palatinus, Christiani, Danus, & Brunsvicensis, Ernestus Mansfeldius, Gabriel Bethlenus, & alii, quorum plures debellatos, suo receptos gremio aluerunt.

Ferdinandũ Secundum timent.

Illi hostes procurant.

Interim

Interim ſuas illi res, qua terra, qua mari promovebant: & comparatis claſſibus, millenis navibus totum navigantes orbem, Oceanum ſibi vendicare conſtituerunt. Immo Admirallio ſuo Petro Petræjo Heinio, Regia expugnata claſſe, ad aliquot milliones argentum in Hollandiam advexerunt.

Oceanū vendicare tentāt.

Tum ipſi Brabantiæ inhiantes, Americano freti metallo, ſua Regem pecunia aggreſſi, munitiſſimam ejus provinciæ urbem Sylvam Ducis, fruſtra tentatā alias, obſidione cinxere.

Sylvam Ducis obſidēt. Anno 1629. 30. Ap:

Regis res agebatur. Itaque Imperator debellatis ruſticis, cum Dano & Gabore conſtituta pace, Auſtriaco ſanguini, cognato Regi non defuit; ſuas in invida ſibi Hollandia, Imperii clades ulturus. Igitur ſub Comitibus de Monte Cuculi, & quod magis irritabat, Iohanne Naſſovio, Bataviam verſus movit. Qui conjunctis, cum Henrico Comite Montenſi, copiis, unitis viribus, per Cliviam, in Geldriam irruunt, & expugnato ad Druſianā foſſam, vulgo Iſalam, propugnaculo, fruſtra repugnantibus Batavis, flumen ſuperant, cæſiſque ſeptem Hollandorum cohortibus hoſtiles aquas ponte

Cæſar Hiſpaniæ ſubſidium mittit.

ſubju-

ſubjugarunt: nec enim fas erat ut liber eſſet fluvius receptator hoſtium atque defenſor. Mox per patentem aridamque Velaviam, Johannes Naſſovius imperialia ſigna circũtulit. Sed in occurſum veniebat cognatus, Erneſtus Caſimirus Comes Naſſovius, centum triginta cohortibus: verumtamen non auſus congredi, Rhenum, & Batavorum inſulam obſervabat. *Cæſariani Velaviam intrãt.*

Interim Cæſariani Amsfortium profecti, oppidum deditione cæperunt. Et jam ad ipſas Vltrajecti portas, ad ipſos Hollandiæ Comitatus fines, prædas agebant: & facta eſt ipſa ſibi, adverſus præſentem hoſtem, tremebunda Hollandia limes. Tantum ſuis tuta paludibus, his ſe quaſi clypeo tegebat, nemo comparuit: & quod acerbiſſimum Cæſarianis erat, non fuere qui vincerentur. *Amsfortium expugnant.*

Itaque ad Oceanum flexo agmine, Elburgum & Hardervvicam tentavere. Sed fruſtra. Vrbes tutæ portubus expugnare mari, non terra oportebat. *Fruſtra Elburgum & Hardervicam tẽtant.*

Iterum ergo Vltrajectum: ſed hoc, è Danico bello veniens, Carolus Morganius jam quinq; millibus tuebatur. Fremuere Cæſariani, cum Oceano, *Fruſtra Vltrajectum.*

fluvijs

fluviis, paludibusq; subducti hostes, quærendi essent ut vincerentur, nec aditus esset, ut quærerentur.

Accedebat aliud malum, Vesalia dives ad Rhenum urbs, unde annona suppetebat, captam se citius quam oppugnatam à Batavis intellexit. Didenius enim dynasta Gubernator Embricensis, collectis peditum mille octingentis, nongentis equitibus, quasi aliud agendo, Vesaliæ appropinquavit, Mox audaculi quidam, eas diu præmeditati insidias, transnatant fossam, munitionem alicubi semîperfectam superant, excubias opprimunt, portam malleis securibusq; revellunt, & intromisso milite, Francisco Losannio, qui urbi præerat, somno indulgenti, mox subitaneo consternato discrimine, claves extorquent. Cives, utpote hæretici, præsidiariis opem non tulere: sed clausis omnes januis, gratam è fenestris Batavorum ferociam mirabantur. Hispani omnes & Itali trucidati, Germani vita donati, tribuni militares in captivitatem rapti, Gubernator Losannius Arnhemium deductus est.

Batavi Vesaliā intercipiunt 19. Augusti:

Baro Didenius præfecturam urbis stratagemate meruit, & è regione Buricam,

Buricam capiunt

ricam, quaſi à ſuo male diſiunctam capite, armis conjunxit. In urbe quinquies centena millia florenorum, ſeptuaginta tormenta bellica inventa ſunt.

gnat.
Quanta præda in Veſalia.

Is victoriarum curſus animos fœderatis auxit, Sylvæ ducenſium & Cæſarianorum labefactavit, cum illi ſuam præ oculis deditionem, hi annonæ difficultatem haberent: ſed hos amica Weſtphalia nonnihil erexit, illos Henricus Fredericus Auraſiæ Princeps humiliavit, & æquis legibus deditionem pacti, explicatis vexillis & majoribus quinque tormentis exceſſerunt. Sic Sylva Ducis virgo eſſe deſiit, quæ furioſum in armis hoſtem ſinu excepit.

Sylva ducis deditur, 14. Sept.

Interim Velaviam adhuc cum Cæſarianis Hiſpani equitabant, nec ceſſuri videbanrur, niſi aut armis, aut fame pellerentur. Alterum accidit. Cum enim Erneſtus Caſimirus Naſſovius, licet firmus duodecim militum millibus, apetto Marte diffideret, & videret unam commeatum ſubminiſtrare Weſtphaliam, propoſuit, quos armis non poterat, fame debellare. Et Zutphaniam profectus utriusq; ripæ Druſianæ foſſæ potens, aditum occupavit,

pavit, & ab illa parte penu clausit. Et jam à Sylva Ducis victor Arausius revertebatur, cum armis itaque urgerentur & fame, nec in arida sitientiq; erica liceret prædas agere aut urbes occupare, relectis vestigiis, in Brabantiam Hispani, in Montensem Ducatum Cæsariani discesserunt, sed hos ordinum milites pone sequebantur, occupatoque Teutoburgo, miscebant invicem velitationes. Cumque Mulhemii obruere Cæsarianos tentarent, magna clade repulsi, quid esset assuetis bello viris cominus venire suo damno didicerunt.

Velaus lam deserunt. 13. Oct.

Batavis damnũ inferũt.

Finis belli

Tandem, cum Italiam exurgentes bellorum motus, & detestabili discordiarum malo Bellona corrumperet, illac Cæsariani profecti milites, suam murmurantes vindictam Batavos reliquerunt. Et sic sancita pax, non lege, sed discessu.

BELLUM ITALICUM.

Italia olim rerum Domina. A Variis subjugã

Italia olim sub Romano populo terrarum Domina, à Gothis primum, deinde Longobardis (qui ex suo nomine Lombardiæ, quasi Longobardiæ regnum fecere) debellata, paulatim inservire Regibus assuevit. Tandem, devicto

devicto ultimo Longobardorum Rege Desiderio Francis subfuit. Et ab his, ut Belgio, fortes bello viri in ea constituti dynastæ, qui variis casibus tandem in Duces & Marchiones evasere, Venetis, constituta à Carolo Magno cum Orientis Imperatore pace, sua libertate vivere permissum. *missa. Tandē multis principibus inservit.*

Inde ad potentes paulatim in Italia Romanos Pontifices, Neapolitanum & utriusq; Siciliæ Regnum devolutum est. Hoc Francis illi feudatario jure concessere. Sed de Gallorum insolentia conquerentibus subditis, Aragonios vocaverunt in subsidium Reges: qui utramque Siciliam & Italiam non contemnendam rati, utrumque Regnum subditorum favore occupaverunt. Hinc vetera in illis Regnis bella, & vetus de illis Regnis quæstio. *Potior pars ad Romanos Pontifices devoluta. Neapolitanum regnum Francis feudatario jure cōcedunt. Aragonij occupant.*

Tandem Hispania, devolutis, in unum Castiliæ Regem, Regnis, & Indiarum accessione emersit, & nobilissimo Franciæ Regno par, si non superior, utriusq; Rex, paribus uterq; votis ac viribus Italiæ Imperium agitare cæpit. Hinc inter Franciscum Primum, & Carolum V. diversa, pro Ducatu Mediolanensi, bella. Sed po- *Hispania & Gallia de Italia imperio certant.*

Hispania superior evadit. tiores mansere Hispaniæ partes: quæ Italiam capite pedibusq; complectens hoc unicum præcipue allaborat, ne ullum Gallus possideat, aut amicum habeat in Italia Principatum. Adeoq; in interiora faciat, fixo pede, viam.

Mãtua Dux moritur. Anno 1627. 26 Dec. Gallis, Venetis, & alijs quibusdam Italiæ procerib⁹ contra annitentibus, ne Rex Catholicus nimium Italiæ potens, universum deinde sumat imperium. In hoc eos, præsenti tempore, nonnihil juvare fortuna videbatur. *Nivernius succedit.* Vincentio Mantuæ Duci ex hac vita migranti, Carolus Nivernius Gallicanus Princeps, ut pote patrueli suo, succedebat, & Mantuanas pariter & Montis ferrati ditiones, agnationis jure appræhendebat.

Inconsulto Cæsare, feudi Domino inauguratione matu- ratæ. Et peracta erat sine bello successio, nisi, inconsulto Cæsare feudi Domino, inaugurationem maturasset. Mox itaque, cum Ferdinando Imperatore, Rex Catholicus, & Sabaudus (cui cum Mantuanis Ducibus antiqua super Montisferrato lis est) indignantur. Sic vetera partium, inter Hispanos & Gallos, studia recruduerunt; illis Galliæ Regibus aditum in Italiam invidentibus, his se magno Italiæ principatu elevari gaudentibus.

Itaque ad arma necessario ventum. Sabaudus multa in Montisferrato oppida occupavit. Nivernius præcipuas Mantuanæ ditionis urbes, fossis valloque munitas, numeroso præsidio firmavit. Et in Austriacæ Domus exitium, cum Gallis & Venetis sociavit arma. Gonsalvus vero de Corduba Gubernator Mediolanensis, totius Mantuanicæ ditionis munitissimum oppidum, Casalium obsedit. Sed mox intumescens Padus ex alveo suo ebullijt, & omnem late inundans regionem, propugnaculis & stationibus suis Hispanos pepulit, &, arietatis crebro procellarum assultu munitionibus, surgentia eorum valla humiliavit. Post paululum autem, suo se rursus condens gremio, placide cum victoria fluxit. Potentiam fluminis agnovit Iberus, ut tamen eius eluderet alias aut tardaret impetum, ingentem aggerem obiecit, & invidas hostilesque aquas, quatenus armis obnoxiæ non erant, terra coercuit, extructisque propugnaculis, quasi flumen irritaret, urbem denuo armatus pressit.

Sabaudus in Montisferratum.

Corduba Casalium obsidet.

Cæsar se quo stationi sua locum vult.

Imperator componere nitens pace dissidium, legatos misit; ut, quoniam Nivernius, se inconsulto feudi Do-

mino, ditiones illas invasisset, sequestrationi suæ locū faceret, ambos Ducatus sibi permitteret; usq; dum legitimo jure procederetur. Non accepit conditionem Dux, sed aliquot millium comparato exercitu, quod absq; Cæsaris consensu cæperat, absq; Cæsare, jam & armis defendere nitebatur.

Rex Galliæ Casaliū obsidione liberat. Anno 1628.

Quin & Christianissimus Rex Ludovicus XIII. Sexaginta Gallorum milibus, è Francia in subsidium Niverino Duci veniebat, & compellatum Allobrogum Ducem, tamen aditum in Italiam indulgere nolentem, ad Susam prælio fudit, propugnacula expugnavit, &, urbem adortus, vi expugnavit, superatisq; angustijs, in Italiam victor irrupit. Hispanica mox castra Regius terror afflavit, & obsidionem solventes, ne cæderentur, cedere maluerunt. Mox tamen Ludovicus Rex, Rupellensium suorū rebellione districtus, in Franciā retrocessit.

Cæsaris ani in Italiā. Anno 1629.

Ut ergo Cæsar, modico sui respectu, spem nullam superesse pacis intellexit, viginti armatorum millia, Collalto, Altringero, Gallassio, belli Ducibus, in Italiam destinavit. Hi stratagemate Rhætiam aggressi, occupaverunt, &, Curia dedita, angustiis munitionibus firmatis, duobus Rhenum

pontibus subiugarunt. Mox perruptis obstaculis, tripartito agmine, per Alpes, id est Italiæ claustra, Cæsariani ferebantur; & illis Montium jugis in Italiam provoluti ruina descenderunt. Et quemadmodum qui cursu in inferiora volvuntur, ulterius prona, quam destinaverant, velocitate feruntur; ita illi in hostiles terras invecti, magno urbes impetu occupaverunt. Nec enim erat, qui, cum victoria venientium, fortanatum armis cursum sisteret, & assuetos vincere milites coërceret. Itaque, hac eorum virtute, universus Mantuæ Ducatus, Mantua Casalioque exceptis, Cæsarianum jugum admisit.

Oppida expugnant. Mense Octobr.

Nec armis tantum, sed pietate etiam Germani eminuerunt. Cum, castrum Gevernolum expugnantes, pertinaces in armis occiderent, in templum reliquiæ confugerunt. Cæsariani, fervore suo cæci, ad aram recedentes, sequebantur. Mox eis sacerdos cum venerabili Sacramento occurrit. Vicit præsentia Numinis, positaque ira & impetu, præcedente Altringero Duce suo, in genua provoluti, victoriarum largitorem adorantes, misericordiam ipsi ut sacrificium obtule-

Corpus Christi adorãt.

obtulerunt, & donatos venia cives laribus fortunisq; restituerunt. Ita Austriacam pietatem æmulati, viam, ad conficiendum ex voto bellum, pietate fecerunt.

Laudatur pietas. Noverat profecto prudens Altringerus magnis viris virtutes decori gloriæque esse, & non leve, ad debellandos hostes, momentum, Ducis exemplum. Quemadmodum enim primum militiæ vinculum religio est, & signorum amor, & deserendi nefas, tunc deinde facile cætera exiguntur mandanturque ad jusiurandũ adactis; ita in eis, quos ad victoriam perducere velis, prima fundamenta jacienda sunt, & insinuanda virtus. Macte generose miles, si quod est pretium pietatis ex fama, non hoc interit. Multa forsan annorum millia, multa certe populorum supervenient. Ad illa respice. Etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient qui sine offensa, qui sine gratia judicent, & putrefactis ossibus fama etiam non sentientem te colet, ac frequentabit: nulli enim non virtus & vivo & mortuo retulit gratiam.

Mantuam obsident. Post hoc pietatis exemplum Mantuam ivit cum suo Duce Cæsarianus

exerci-

exercitus, &, cincta corona urbe, Niverniæ in ea Ducem clauserunt; cum pietatem omnia sequerentur. Venetivicinæ afflictæque Mantuæ præsto fuere: hoc placuit vindicare. Et adfuit voto Deus. Siquidem, expugnato Goito oppido, Venetos civitate pepulerunt, & destinatum Mantuæ commeatum, suis ovantes castris intulere. Cum vero, imminente hyeme, jam frigore, pluvijs, armis infestarentur, in expugnatis à se locis hyberna cæperunt.

Goitum expugnans.

Nivernius, ut ab invicem divisos carperet, & sic per partes deleretur exercitus, Mantua egressus, Goitm obsedit. Sed sexcentis desideratis è suis, cautius agendum cum Cæsarianis strage didicit. Abscessit ergo, & suam exspectare obsidionem maluit, quam alijs minari.

Nivernius Goitā frustra tentat. Anno 1630.

Sed, quod ille non audebat, Veneti suppleverunt. Illi enim Duci, centum coronatorum millibus erecto, non pecunia tantum clanculo, sed, indicto quasi Cæsari bello, integro exercitu subveniebant. Et cum opportunam Reipublicæ eandem illam Goitam judicarent, ejus occupandæ desiderio flagrabant. Atqui, cum

Veneti Goitam obsidere parant.

multa fuissent incassum tentata alias, jam vera obsidione aggressuri, Generalem Commissarium Quirini quatuor armatorum millibus, Villabonam præmiserunt, ut, eo munito loco, aditum Cæsarianis Goitam intercluderent.

à Gallassio cædun-tur. Collalus subodoratus consilium Generalem Gallassium in se munientes immisit: qui exercitu præpeditos aggressus, primo turbavit, inde, arma expedientes, centenis aliquot trucidatis, in fugam vertit.

Iterum ingenti clade. 19 Maij Intellexere cladem Veneti, & quæ cautelam plerisq; suasisset, indignantibus furorem peperit, totoq; veniebant exercitu, Candalio Duce, cladē vindicaturi. Sed hoc erat exacerbare victores, frendentes, post illatam stragem, crevisse bellum. Itaq; non aliter Venetos, quam victos aggressi fugere coegerunt. Non Valessium, non Villa Franca, nec Putuolum quidem, in quæ se receperant victi, tutos reddidere. Sed omnibus, impetu uno, exactos, adusq; Veronæ mænia ceciderunt.

Damnū Venetorū. Ingens hoc erat Venetæ Reipublicæ vulnus, cum quinq; millia periissent, tria millia capta fuissent, tot-

mena

menta ſedecim abducerentur, & quatuor equitum ſigna, viginti quinq; vexilla peditum, Ferdinando Imperatori transmitterentur.

Adeo periculoſum eſt non concernenti ſe miſcere bello, ut, cum alijs, non nobis, bellemus, utilitatem alteri pariamus dum vincimus, clades ipſi & vulnera ſentiam⁹ dum ſuccumbimus. Pluris ego, hac in tragædia, ſpectatorem, quam ſuo periculo, in non bona cauſa, exhibentem ſcenam, fecero.

Rex Franciæ, ut, jam Rupella dedita, intellexit ex grandi vulnere grande bellum, ſuarum partium facere Helvetiam ſtuduit. Sed pleriq; Auſtriacis addictiores, ſuſpiciebant Cæſarem, & victorias ſequebantur. Gallicum tamen aurum affectus nonnullorum expugnavit, & bellicoſiſſimæ gentis ſex millia, ex aſperis montium jugis, in molles Italiæ campos deduxit; junctaq; Cardinali Richelio, ſuam fortitudine virtutem probaverunt. Cum autem Sabaudus, pacem inter & bellum, cum Francis tumultuaretur Pinarolum expugnatum eſt: cujus amiſſio tantum illi Duci dolorem dedit, ut ſtatim Auſtri-

Galli in Sabaudiam.

acis totis viribus ſuis accederet. Itaque Galli, Hiſpanicis Ducem ſuffultum copijs, forti manu ſubmoverunt. Mox ſævitum in urbes, urbemq; urbium Chamberiam; ut Dux inimicus ſaltem commiſeratione patrij ſoli domaretur. Manſit tamen ille Imperatori & Catholico Regi fidus.

Mantua & Caſalium ab Auſtriacis iterũ obſidentur.

Hiſpani interim, ad obſidionem Caſalienſem redierant, & munitionibus varijs excitatis, multo quam antea vehementius expugnationi incubuerunt: & Cæſariani, poſt nuperam ſuam victoriam, Mantuam quoque reverſi, arctius attonitam urbem obſidione clauſerunt. Sed utraq; civitas, & vallum cædere, & corrumpere machinas, & congredi navibus auſa fuit. Auſtriaci tamen his omnibus ſuperiores, magna conſtantia perſeveraverunt; adeoq;, jam integra regione ſubacta, reliquis etiam duabus urbibus, & in ijs Nivernio ipſi, exequias ſtruebant.

Cæterum ſic omnia hoc bello fortuna moderabatur, ut partes & vincerent & vincerentur, totum neutriu notabile detrimentium pateretur. Nivernio ſiquidem Venetisq; adverſa, proſpera Francorum Regi, quod

Adriati

Adriaticum versus mare deficiebat, in aspera montibus Sabaudiæ Massilicoq; sinu restituebat. Hunc Guisius navigabat numerosa classe, & excensione facta Nizæ, viginti armatorum millibus, variaq; annona, exercitui se conjunxit Sabaudiæ incubanti: Sequebatur terra Ludovicus Rex, & Mommorentio Duci in Pedemontium præcederet, jussit. Ille hoc ea diligentia exequutus est, ut Jovernio arce & San-Ambrosio oppido expugnatis, felici successu copias promoveret, inq; suum Regem pius vias ei victorijs aperiret. Et cum ei Vigliano egressus, duodecim millium exercitu, Sabaudiæ Ducis filius Princeps Thomas occurreret, ea prudentia instruxit aciem & promovit, ut in hostes fortiter invecta, occisis duobus millibus, fugibundo hostili sanguine, non nuntio, venienti post se Regi victoria nuntiaretur. Mommorentius viginti duo vexilla, ænea duo tormenta, in adventum Regis servavit, ut grato illi munere, majestatem veneraretur. Pedemontium & Montisferratum victorias mirabantur, & fortunæ impares gremio victores admiserunt.

Galli Pedemontiū intrant.

Sabaudos cadunt. 10. Jul.

Sabaudia Ducē provinciis exuunt.

Jam Franciæ Rex totius Sabaudiæ potens, tredecim munitas urbes, fortalitia quinq; magna, Marchionatum Saluziarum, Pedemontium insuper sibi subjecerat, & deliberatum an in provinciarũ Ducem inaugurraretur.

Fortuna inconstantia. O rerum humanarum inconstantiam! Quid est, fortuna cum volvit, quod non & florentissimo detrahat? quod non magis aggrediatur & quatiat quo speciosius fulget? Quid illi arduum quidve difficile est? Ille modo trecentarum urbium Dominus, ille magnarum regionum Dux, Italiæ Franciæq; claustrorum possessor, potentissimis nuper Hispaniæ Galliæq; Monarchis bello par, qui æquis cum utroq; pacis legibus convenerat, jam tribus tantummodo millibus, in sua aula Turini non tutus, in aridis montium jugis vivebat, pavens atq; respectans, & tamen non metuens ne periret. Non alia miserabilior hoc sæculo fuga. Quippe paulo ante pacis quodammodo belliq; moderator, in sua regione exul, extraneum patriæ incubantem, è suis ingemiscens montibus speculabatur. Sed invadit temperatissimos morbus, validissimos phtisis, innocentissimos pœna, po-

tentissi-

centissimos clades. Et quemadmodum in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt: veluti, rosæ, lilia, violæ, ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime feruntur in diversum.

At quasi annus ille eversionibus Ducum curreret, ita Sabaudi ruinam Nivernius statim excepit. Plane quasi fortuna concluderet, uno eodemque tempore, bellantes simul in invicem Duces, castigare simul, simul evertere. Mantuam siquidem Altringerus obsidebat, sed forriter opidani resistebant, terra & aqua infesti. Præsidiarij autem suis etiam eruptionibus suisque victorijs atterebantur. Itaque sollicitati pro quinque millium subsidio Veneti. Intercepere literas Cæsariani, & quinque selectorum millia castris subduxerunt. Mox scenica inter illos pugna, cum, non ferro, sed fraude: non globis, sed pulvere pugnaretur. Inde, perruptis quasi castris, sub vesperam Mantuam pervenere, Venetosque se & quinque millia dicentes, cum Mantuani scripsissent & exspectarent, & testimoniũ veritatis prælium faceret, portam eis aperuere. Patefacta porta dolus patuit,

it, & intromissi, securos sui spectatores & gratulatores; invadunt. Veruntamē, tota in eos urbe concurrente discrimen erat. Sed aderat fatum capiendæ urbis. Aliis jam portis Cæsariani feroces infestiq; imminebant, præsidioque nudatas vi aperiunt, omnibusque portis pariter irrumpentes, à tergo præliantes invadunt: sic proclive erat integro exercitu circumventos trucidare.

Mān- tua strata- gemate occupa- tur.

Nivernius cum uxore & liberis ad arcem fugit: sed quoniam, præsidio destitutus, resistendo non erat, pacisci cæpit, & de legibus facile necessitate convenit. Arcem Cæsarianis cessit, Dux, non in Galliam, aut Venetias, sed Ferrariam permissus abire, pactis stetit, & abivit.

Quanta urbs capta sit, ut de cæteris taceam, vel è raptis militaribus signis, & direptionis mora probari potest. Per continuos tres dies spoliata fuit, & quadraginta octo vexilla Ferdinando Imperatori transmissa sunt. Mille ducenti Iudæi urbe exacti, nec quicquam illis auri, aut argenti, aut fortunarum permissum, quam in viaticum tres coronati. Omnia victorioso militi permissa.

Sic

Sic duo Magni Duces & inimici, eodem fere tempore, ditionibus suis exuti, parem Bellonę sævitiam experti sunt. Hoc unum eis in malis indulgente fortuna, ut Nivernius aspiciens Sabaudum, Sabaudus aspiciens Nivernium, alter alteri posset esse solatio.

Cæterum fortiter adhuc Casalium resistebat, & pro Gonsalvo de Cordua, Marchio Ambrosius Spinola, felicissimus nuper in Belgio bellator substitutus, sub novo Duce novæ belli artes: sed omnia sua fortitudine Torrassius Gubernator discussit, & prudentissimi Ducis elusit impetum; adeoque vicinum arci aggerem, quatuor tormentis infestum, fossis, cuniculis, subditoque pulvere omnino deiecit, octingentosq; Hispanos secum impetus aut omnino rapuit, aut mutilavit, vel adussit. Tres centuriones de deditione loquentes præfectus Torrassius, in exemplum hostiumque conspectu, de patibulo suspendi curavit, & omnino Romana virtute, commendatam sibi urbem Heros tuebatur. *Ambrosius Spinola ad Casalium in Castra venit.* *Damnis patitur.*

Iamque ad solvendam obsidionem Franci veniebant. Illis cum octo millibus Philippus Spinola obviam missus *Hispani cæduntur.*

ſus, ferociam Gallorum non ſuſti-nuit: ſed ſexcentis militibus, ſex Chiliarchis multatus retroceſſit.

Continuo hoc victoriarum curſu perculſus Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, in mœrorem & morbum incidit, cumque infelix regiones ſuas antea amiſiſſet, animam jam emiſit, & in cœlum ad meliores tranſijt.

Sabaudiæ Dux moritur. 26. Iul.

Succeſſit victor Amadæus prædicto Duce & Catharina Philippi Secundi Hiſpaniarum Monarchæ filia genitus: ſed jus ille potius ad terras ſuas accepit, quam poſſedit, felicior tamen paulo poſt pace futurus.

Vſi interim victoria Franci in Mediolanenſem Ducatum irruere, & populantes terram & expugnantes, tantũ ipſi Mediolano terrorem incuſſerunt, ut incolæ de ſua velut deſperantes urbe, non viſo adhuc hoſte, in caſtrum chariora portarint. Sed Galli non illam voluere urbem, ſed unius Caſalij obſidionem ſoluere moliebantur. Ad hoc juvare eos ſine clade fortuna videbatur: cum Marchio Ambroſius Spinola, fortunatiſſimus prudentiſſimusque Dux, peſte correptus ante Caſalium in caſtris obiiſſet. Hinc magnus tam apud Mediolanenſes quam

Galli in Mediolanenſem Ducatum irruunt.

Ambroſij Spinolæ mors. 25 Sept.

in

in castris metus: & fore videbatur ut venientibus Francis obsidionem solverent. Sed aliter Deo visum, hic in bellantes contagione bellans, quotidie per Longobardiam millia occidebat, & necessariam humano generi pacem, virga mortalitatis inducebat; ut, cum se invicem perderent homines, salutari quadam perditione ad concordiam & unitatem universos cogeret, ne mala voluntate & ambitione diffidentes ultro perirent. Omne enim quod est, tam diu manere atque sustinere solet, quam diu unum est, sed interit atque dissolvitur quando unum esse desierit.

Vt igitur conjuncti limitibus, conjunctis mentibus, anima prosperitatis concordia fruerentur, convenere legati, & legibus convenere. Nivernius culpam agnosceret, veniam à Ferdinando Cæsare precaretur, inde investitus ab eo, Ditionibus suis restitueretur. Casalium obsidione levaretur. Franci Sabaudia, Pedemontio, & Marchionatu Saluziarum cederent, & suo Duci restitueretur. Hispani Montisferrato demigrarent, Nivernioque traderent: qui pro sua prætensione Sabaudo, cum suo territorio *Pacis leges.*

Trinum

Trinum permitteret, & alia quædam loca octodecim millia coronatorum annue valentia. Guastalæ Duci, pro suo jure, similiter arces quædam, quæ sex coronatorum millia annue facerent, permitterentur. Cæsariani Italia pariter & Rhætia cederent, firmasque munitiones demolirentur. Veneti pace concluderentur. Si quid postea difficultatis occurreret, lege, non armis, poneretur.

Ratispona pax concluditur. Ita Ratisponæ à Cæsaris & Franciæ deputatis conclusa pax fuit, diu tamen vacillans & dubia, cum tempore tandem robur accepit, & anno, *13. Oct.* post CHristum natum, millesimo sexcentesimo trigesimo primo, executioni mandata. Tum Niver- *Executioni mãdatur. Anno 1631. 22. Iunij.* nius, per Reverendissimum Mantuæ Episcopum, à Cæsare deputatum, accepto feudo, constitutus Mantuæ Dux & Montisferati Marchio. Et victor Amadæus Sabaudiæ suæ potens, quam Princeps reliquerat, Dux ingressus moderabatur.

Redijtq; paulatim sua Provincijs facies, subditis prosperitas, judicibus & magistratui reverentia, legibus & Principibus honor, Regibus Majestas, aureæque pacis radijs, rerum omnium

mnium bonarum, provocata fertilitas: deniq;, quod super hæc omnia, concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas, quam priora omnia necessario sequebantur.

FERDINANDI III. HUNGARIÆ Bohemiæq; Regis, & Mariæ Philippi IV. Hispaniarum Regis sororis matrimonium.

SErenifs: Ferdinandus III. Hungariæ Bohemiæq; Rex, cum non sibi tantum sed posteritati etiam vivere videretur, de matrimonio dignaq; Regio Sceptro conjuge cogitare cœpit: laudabile prudenter existimans,

Liberos hominem educare generi monumentum & sibi,

In quibus & viveret favente DEo & regnaret. Itaq;, ut à domo familiaq; sua non abiret, Philippi quarti Hispaniarum Indiarumq; Monarchæ sororem, per legatos suos sollicitavit. Hic lætus quod socerum nactus esset dignitati suæ parem, desponderi illi Mariam sororem virginem sustinuit, & cum illa Barcellonam profectus, ultimum præsens Vale dixit. *Ferdinandus III. Hispaniarum Regis sororem cõjugem petit. Impetrat.*

Hæc, aliquandiu cum fluctibus Gallici conflictata Sinus, Genuam tandem *Sponsa in Ital*

liam venit. dem appulit. Ibi ab Eminentissimo Dietrichstenio Cardinale, Sponsi Regis nomine salutata, contagione Longobardiam populante, Neapolim profecta est, toto terrarum orbe pulcherrimam Campaniæ plagam, cui Ceres & Liber excolendæ pariter insudasse videntur, visitatura: ut per ocium, illa maris otia, illas tepentes fontibus Bajas, nobiles in littore portus, & amictos vitibus montes, lustraret, &, quod molliter poterat intemerata virgo, bis floribus vernantes culmos legeret.

Ut nauseam Campanæ delitiæ peperere, Adriaticum navigavit mare. Appropinquantem cum millibus armatorum Reginam Veneti timere potuerunt: sed ad thalamum illa non arma festinabat, & sponsa per Istriam Viennam proficiscebatur. Serenissima Augustissima Imperatrix Eleonora Ducissa Mantuæ, ut advenientem Infantem Mariam nova quadam dignitate reciperet, in Imperatricem coronari voluit. Quod ea Ratisponæ magnificentia, qua nunquam alias, factum est. Jam solenniter itaq; coronata cum Imperatore Viennam venit, emetitam immensa terrarum spatia sponsam præstolatura.

Imperatrix coronatur Anno. 1630. 7. Nov.

Et

Et hæc quidem, ab Occidente & à sole veniens, postquam Germanicum aspernata frigus, quem assueti timemus hyemem itinere suo risisset, viridis virgo cum primo vere venit. Quam Ferdinandus Tertius ut venire sensit, obviam profectus, deaurato plane curru excipiens, Romano triumphantium more Viennam introduxit, & eadem die, in ecclesia Patrũ Augustinianorum, ab Eminentissimo Cardinale Dietrichstenio, Maria infans Ferdinando Tertio Hungariæ Regi copulata fuit. Inde sexcentis Luciniarum ferculis instructæ celebratæ nuptiæ. Nec quicquam deinde, perstrepente hymenæo, defuit, quod tantæ solemnitati inservire videretur.

Sponsa in Austriam venit. Matrimonium Ferdinandi Tertii & Mariæ Hispaniarum infantis. Anno 1631. 20. Febru.

Magnum profecto Patri, magnum filio Solatium, cum ille filio felix quem Regem, & magnæ Reginæ conjugem videbat, in illo regnare videri, per illum regnaturam posteritatem sperare posset: & hic, quod utroq; parente vivo, ab utroq; stabilitus in regno, in illis propriæ felicitatis gaudium videre liceret. Quæ beatitudo filiorum non levis est, pietatem spirans, & fortunam comprehendens:

quam

quam nos feliciſſimo pari conjugum ad vitæ annos, ejus poſteritati in ſæcula voto propagamus.

BELLUM TRANSYLVACUM. IV.

GAbriel Bethlenus ex omni occaſione Cæſaris, quaſi anniverſarius hoſtis, ne periculoſis Italiæ, Sveciæq; bellorum initijs, maxime à Guſtavo Adolpho ſollicitatus, in Imperium adverſus Cæſarem arma ſumeret, in eum DEUS ſumpſit, tactusq; voluntatis illius lancea in morbum incidit, & ne ſine prodigio etiam ægrotaret hydropoſi laboravit. Nempe quemadmodum.

Bethlenus laborat hydropiſi.

Creſcit indulgens, ſibi dirus hydrops, nec ſitim pellit,

Ita ille ambitione ſua hydrops, diſtricto ſemper bellorum motibus Cæſare, Tranſylvaniam ſuam, Hungariam, Imperium, Europam, Orbem ſitiebat; & vix unam imbiberat Provinciam, quin aliam mox avidus ori applicaret. Nunquam enim improbæ ſpei quod datur ſatis eſt, & majora cupimus quo majora venerunt. Ut flammæ infinita vis acrior eſt quo ex majore iucendio emicuit; æque ambitio ut ea, qui bus inhiabat, ab-

absumpsit, omnino plurium cupiditate exardescit.

Cæterum hac ambitione, illa hydropisi laborans Bethlenus, ut ista sine modo, sine fine hæsit in animo, ita hæc in suum subjectum pertinax, sine termino, ad mortem comitata est. Frustra, quos adhibuit, Medicus, Carnifex, Chirurgus, frustra scissæ pedum plantæ, cum vulnus suam hydroposin, suam ambitionem sequeretur, id est, nunquam sanaretur. Et, cum magno fervore ambivisset, ad pedis vulnus sacer ignis accessit, ut sic, non una morte, aqua & igne periret. Ambitione tandem perfecto patefacta prodigio, aridam emisit animam. *Moritur Anno. 1629. 15. Nov.*

Cum autem vita non fuisset, testamento prudens & æquus fuit. Ferdinando Secundo Imperatori Romano generosum equum, peristromatibus, gemmis & unionibus ornatum, & quadraginta ducatorum millia legavit. Ferdinando Tertio, Imperatoris filio, Hungariæ Bohemiæq; Regi generosum equum, peristromatibus, gemmis, & unionibus ornatum, & quadraginta ducatorum millia. Turcico Imperatori generosum similiter *Testamentũ ejus.*

equum

equum, periſtromatibus, gemmis, & unionibus ornatum, & quadraginta ducatorũ millia. Catharinæ Brandenburgicæ uxori ſuæ, paratæ monetæ centum millia ducatorum, centum millia Imperialium, centum millia florenorum, cum tribus ad vitam ditionibus reliquit. Turcico Imperatori teſtamẽti exquutionem, Romano Cæſari viduam & Tranſylvaniam commendavit: ad quem Gaboris etiam morte Caſſovia, & omnes Bethleno ad vitam permiſſæ ditiones Hungariæ devolvebantur, quæ annitente vidua, Hungarico Palatino bona fide ſunt traditæ.

Verum enim vero hæc Stephanum Bethlenum defuncti ſui mariti fratrem, Ducem facere laborabat: hinc unum è ſuis Conſtantinopolim Doctorem miſit. Sed hic à Ragotzio, magno terræ Satrapa, corruptus, contempta Domina, illius, non Bethleni, cauſam egit. Sic datus ille Ragotzius Tranſylvaniæ Dux. Non aſſenſit inaugurationi vidua, & Doctore perfido infra glaciem juſſo ſuffocari, Romanum Cæſarem, ut ſuum & Tranſylvaniæ tutorem, in auxilium vocavit. Miſit hic multis ſuffultum

Ragotzius Tranſylvaniæ Dux.

tum

tum copijs Hungariæ Palatinum, qui Cassoviam profectus, ad sedecim milliaria, sua agmina Transylvaniæ infudit. *Hungaria Palatinus in Ragotziũ.*

Ragotzius ergo, ut non tantum in ditionibus Bethleno Gabori, sed moribus quoque successisse appareret, Turcam respexit. Hic nolẽs nimium in vicinia potentem Cæsarem, & à se constitutum debellari Ducem, tres cum exercitibus Offam Bassas misit. Sed omnium victor Esterhasi⁹, quam nuper in Turcis opinionem de se virtutis armis feceratrecentibus, victorijs confirmavit. *Illum & Turcas superat.* *Anno 1631.*

Ragotzius ut urgentem victorias Palatinum demolliret, Stephanum Bethlenium Transylvaniæ Gubernatorem constituit. Viduæ Catharinæ Brandenburgicæ universum, cum varijs ditionibus regionis thesaurum dedit, ut beneficijs delinitos flecteret in favorem domesticos, & scelere partum principatum, liberis votis, quasi legitimo jure accepisse videretur & apud imminentem Cæsaris Ducem ex inimicis faceret intercessores. Vicit salutare consilium, & viduam pariter & Bethlenum concilia- *Ragotzius pacem quærit.*

vit, nec mox defuere illi ex hostibus concordiæ mediatores.

Non ante tamen Palatinus quievit, quam cum suo Duce Transylvaniam Cæsaris protectioni obnoxiam reddidit. Sic cum Ragotzio constituta pace, Hungariam (speciosa res) Esterhasius Hungariæ Palatinus Transylvaniæ metu liberavit, & Transylvaniam, quodammodo enervatam Cæsari obligavit.

Impetrat Mense Majo.

BELLUM MAGDEBURGENSE SECUNDUM.

TRansylvaniam statim & Ragotzium, iterum Magdeburgum excepit, quodam casu, quasi de industria, sic adgubernante fortuna; ut quemadmodum à Magdeburgo & Septentrione in Hollandiam & occidentem, ab occidente in Italiam & meridiem, à meridie in Transylvaniam & Orientem. Sic perfecto quasi curriculo, ab Oriente rursus in septentrionem & Magdeburgum, ultro se suggerentibus causis imperialia signa procederent, & cum terrarum orbis situ ipse ordo victoriarum properaret.

Causa istius belli ipsorum Magdeburgensium inconstantia, levitas, in Orthodoxam fidem odium, in Suecos & protestantes studiũ fuit. Cum enim Cæsaris legati, junioris Ferdinandi II. filij, in Administratorem electi, nomine, inaugurationem Hallis, in ditione Hallensi & Magdeburgensi procurarent, templa vendicarent, diversæ religionis canonicos exauthorarent, Romanæ ecclesiæ studiosos inducerent, male hoc habuit Electorem Saxonem, ut cujus filius Augustus, in Magdeburgensem Administratorem nuper assumptus, de injuria querebatur. Pessime habuit Christianum Guilielmum Brandenburgicum, diversæ à Romana religionis Administratorem dudum Hallensem, sed proscriptum. Cui hac junioris Cæsaris filij inauguratione sua dignitas, sua ditio, sui reditus adimerentur. Causa belli.

Nec sane quidquam magis irritat quam fortunarum ereptio, quæ si paucæ sint ad necessitatem, si multæ ad servandam Principibus viris dignitatem faciunt: quibus si quadam cupiditate agglutinetur animus, ægerrimè & non sine quadam violen-

tia abstrahitur. Ut Adamas si juxta magnetem ponatur, non patitur abstrahi ferrum; aut si admotus magnes apprehenderit, adamas è diverso trahit; sic opibus adjecta cupiditas, non patitur quicquam illa abstrahi opibusq; divelli, & si externa aliqua majore vi raptæ fuerint, cupiditas minime quieta, per fas simul atq; nefas, recuperare laborat.

Hoc igitur philtro Christianus ille dementatus, per se parum potens, cognatum Saxonem, Svecumq; respexit. Et cum hic Germaniæ Imperioq; jam inhiaret, ut Germaniam Germanicis quoque viribus aggrederetur, suum cum eo Legatū Johannem Stalmannū Magdeburgū misit. *Administrator Hallensis urbem intrat, Anno 1630.* Administrator ignot⁹, barba capilloque tonsus, urbem ingressus, aliquot per dies latuit. Interim primores clanculo sollicitabantur, &, cū cocta satis omnia viderentur, opportuno tempore jam notus, in lucem venit; & cum Legato Suecico, universo eum deducente Senatu, Metropolitanam ecclesiam ingressus, solenniter Sanctorum Ambrosij & Augustini hymnum, ab omni gestiente populo decantari audivit.

Ab ecclesia mox ad convivium, quod in observantiæ signum Senatus instruxerat. A convivio statim ad Curiam, ut eodem fervore & animo rebellio curreret. Cumq; cives præsto essent, in præsentia Legati Svecici Administrator interrogavit. An cum Sveco Rege & secum eandem statuant subire belli aleam. Avide excepta vox est, & ab omni vulgo elevata voce responsæ sunt fatales illæ binæ, excidij sui causa, syllabæ: *ita.* *Magdeburgenses sollicitat ad rebellionem & rebellant.*

O malitiosa, & in cauta humanæ naturæ levitas! quæ nulla potissimũ re alia quã novitate quadam & eminentis cujusdam viri molli dolosoq; sermone, in suam perniciem moveatur, & piscium instar, spiculo tenui esca vestito, è vastis liberisq; aquis educitur, & captam se citius, quam in diversum à sua opinione elementum abstractam intelligit. Vix Spiritum illa urbs à priori angustia receperat: in oculis adhuc erant ille metus, illa necessitas, illi pro pace discursus, & tamen oblita omnium, in eum Cæsarem, à quo non clementer tantum, sed liberaliter etiam obsoluta fuerat, conjuravit: & contra Imperij corpus; cujus ipsa non ignobile mem-

membrum erat, fœdere se cupulavit cum extraneis.

* Fatū voco quod dubio procul futurū est, aliter tamen fieri potest, Corruendæ Vrbis indicia.

Sed urgebant illam sua * fata, & tempus suæ calamitatis advenerat. Et si attendere voluisset, suam ipsa cladem prævidere potuisset. Quid enim manifestius? vallum urbis paulo ante ceciderat, brevi corruendæ urbis præsagium. Copiosum in vicinia sanguinem miles sudaverat, cruentæ expugnationis indicium. Et veluti fortuna migraret, Sanctus Norbertus, urbis olim Archiepiscopus, illinc cum solemni pompa Pragam advectus, inanem Divorum præsidio urbem excidioni reliquisse videbatur. Sed hæc omnia suo fato cæci cives, cum videre possent, non videbant: sed Christianum suum inaugurantes, juramento se illi & Sueciæ Regi obligabant.

Administrator occupat vicina loca.

Nec facile scribere est, quanto illi gaudio gestientes, Administratorem venerarentur. Et hic, ut proclives in se animos, fortitudinis opinione imbueret, Milítem scripsit, copias eduxit, Wolmerstadium & Calbam expugnavit, Cæsarianos pepulit, & cum copioso commeatu, viginti quatuor monachos captivos adduxit; ut non

solum

ſolum pro ditione, ſed pugnare etiam pro religione videretur. Et nihil exacerbatum, in Romanæ eccleſiæ ſtudioſos, vulgum confirmare magis in rebellione poterat, quam videre Ducem ſuũ ſuo religionis zelo ferri.

Itaq; Adminiſtrator populi in ſe affectu, ſuoq; ſucceſſu animoſior, majora meditabatur, & de Hallis ſuis recipiendis non ſuis adeo viribus, quam incolarum proditione cogitare cœpit. Et ille quidem Hallas profectus, ubi adveniſſe eum cives advertерunt, obſtructam à Cæſarianis portam magno conatu perviam fecere, & duo vexilla intromiſerunt. Hæc in Mauritianam portam converſa, malleis impedimenta ſecuribusq; revellunt, & civium præſidio muniverunt. Quatuor interim alia ſigna Ulricianam portam ingreſſa, & Cæſarianis infeſta, eos in arcem Mauritianam pepulerunt: qui exinde multa Magdeburgenſibus damna intulerunt. Quos adminiſtrator ſemel & impoſterum volens extinguere, plurima arcem verſus tormenta direxit: ſed alacres Cæſariani glandibus glandes, globos globis, tonitrua tonitruis vindicavere.

Hallas expugnat & arcem obſidet.

Veruntamen Adminiſtrator, ne ad unam arcem totus hærere videretur, Querfurtum cum parte copiarum movit, pulſoq́; præſidio, cum tormentis victor Hallas revertebatur.

Nihil revertentium plauſus, nihil inſolentium verborum ſpicula, conſtantes in arce Cæſarianos moverunt: ſed in omnem contumeliam obfirmati, non deditionem, ſed mortem aut victoriam meditabantur. Adfuit generoſo voto fortuna: ſiquidem ex Mansfeldiæ comitatu juſto Cæſariani exercitu in rebelles proficiſcebantur. Quod ut Adminiſtrator Magdeburgo intellexit, tantum illi terrorem incuſſit, ut relictis omnibus tormentis omniq́; apparatu, Magdeburgum fugienti ſimilis ſe reciperet. Præfectus arcis dicterijs recedentes, & inſolenti cachinno proſequebatur. Exonerata urbe, ſenatui claves extorquet, & in perfidis civibus, quotidiana ſævitia, transfugium puniebat.

Deſerit & Magdeburgum fugit.

Magdeburgenſes tempeſtatis futuræ præmetuentes, annonariam præcipue rem procurabant, & novis noviſq́; delectibus incumbebant. Jamq́; ſeptem millia in armis habentes,

tes, prout occasio dabat, Cæsarianorum impetus retundebant. Sed non arrisit diu serena fronte fortuna rebelles, nunquam illis prospera largiri solita, quin malos mox malorum cumulo obruat: incrementa enim eorum lente exeunt, festinatur in damnum: nec longam patiuntur properantia mala moram.

Omnis insolentiæ vindices Cæsariani Halberstadio veniebant, & persundantes impetu rebelles, Wanslebia, Egla, Stasfurto, Schonsbecka ejecerunt. Calba maturior pœnis pertinacior erat, ut plecteretur itaq;, arce simul & oppido vi expugnato, quicquid obvium, quicquid in armis sine respectu trucidatum. *Cæsariani erepta loca recuperant.*

Inde Hallenslebiam novam profecti, cum insufficientes essent, Comes Papenhemius in subsidium vocatus advenit: nec restitit diu generoso Duci. Et quoniam cursum illi victoriarum stiterant, mille ducenti, arma deponere jussi, non ut milites, sed contagiosi, candidis bacillis Magdeburgum ambulaverunt. *Hallenslebiam recipiunt.*

Cum jam in ejus ditione nihil, præter ipsum Magdeburgum, hostile restaret, ambulatores illos Papenhe- *Magdeburgum obs*

fident. 18. Dec: mius à tergo secutus, in commune stabulum gregem, in urbem egit, &, ut eundem mox hostem haberet, trepidam obsidione clausit.

Cæpit adversa fortuna tumultuari vulgus, cui paulatim cladibus redibat intellectus, suamq; temeritatem pœnitentia flagellans, quas merebatur clades conscientia suggerebat. Exurgebant itaq; dissidiarum procellæ: quæ, ne prævalentes, ruptis quibus continentur aggeribus, in commune damnum abirent, & concussam civitatem everterent, matura eas oratione Administrator aggressus, leni sermone fregit, & certi promissione subsidij omnino sedavit.

Tumultuatur vulgus, & sedatur.

Nullum profecto fretum, nullus Euripus, tantas tamq; varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes habet & æstus vulgi ingenium. Quippe,

Vulgi ingenium.

Turba tremens sequitur fortunam semper,

Et leni afflata Favonio, præsentibus aut quæ sunt, aut quæ videntur inhæret bonis, nunquam Borealis sævitiæ memor: quæ ubi aliquando inopinatam infestat, miratur tempestatem & horret, quasi ipse non fecisset.

Cæte-

Cæterum Papenhemius cum laxam premere urbem, justo exercitu destitutus, pro voto non posset, scommatibus potius dicterijsque certatum quam armis: cum tamen ille caveret ne commeatus inferretur. Quem dum præsidiarij pertinacius aliquando quærunt, acres quandoq; velitationes, victorias subinde transferente fortuna.

Gustavus Adolphus, ut Magdeburgensibus, si non auxilio, consilio tamen adesset, & meliori ordine, disciplina, successu, immo, in adversis, pertinaci etiam rebellione res ageretur, aulæ suæ Marschalcum Theodoricum Falckenbergium, in urbem misit. Et hic quidem multa, sed eventu irrito plerumq;, molitus, in Cæsarianos parum, aut nihil, profecit; adeoq; Papenhemius constantissime in obsidione perseveravit.

Falkenbergius Magdeburgum intrat.

Tandem fortunatissimus ille bellator Johannes Tzerclasius Tillius, veterano suo milite, exercitatisq; legionibus adveniebat: tum arctius clausa urbe, non fame nec mora, sed ferro & impetu frangere placuit & expugnare. Ut proxima ab adventu dies eluxit, omnia recognovit, &

Tillius venit in castra Anno 1631. 5. Ap.

Wolfgango Mansfeldiæ Comiti cis Albim, Gothefrido Henrico Comiti Papenhemio trans Albim urgerent obſeſſos, imperavit. Quod ea illi diligentia fecere; ut appropinquationibus ſuis brevi tempore fortalitia Magdeburgenſium contingerent.

Fortalitia expugnãtur. Papenhemius natura ferox & induſtrius, quinq; propugnacula uno, quod mirere, vallo abſcidit à reliquis, & derivata aliorſum aqua foſſas exhauſit. Mox primus ejus impetus in fortalitium de ſuo nomine,* in ſui ludibrium ſtructum, ſed acriter ille ſe vindicavit, & armata manu expugnans, trecentos in eo mactavit.

*Trotz Papē. heim.

Tillius parem contumeliam paſſus, Inſolentiæ hoſtium * munitionis excidio parentavit: fuſisq; nuper quinq; metallinis tormentis potitus, in fortalitium *Magdeburgenſium Succurſum* converſus, pariter expugnavit.

*Trotz Tilli.

A Tillio & Papenhemio quatuor una die 3. Apr. Nec feriatur interim Papenhemius: ſed formale *Præſteri* propugnaculum, Sabellica potiſſimum legione oppugnavit: quæ ut cum quadam æmulatione, ſuperatis foſſis, vallum aſcendit, tantus ſubito præſidiarios terror invaſit; ut antequam pes pedi

junge-

jungeretur, ipsi fugerent. Sic tantorum virorum ludibrijs ultionem flagitante fortuna, quatuor una die fortalitia expugnata sunt.

Veruntamen ne spectare tantum Mansfeldius videretur, ipsa nocte tria propugnacula simul aggressus, simul violentus irrupit, & trucidatis omnibus, inimicos ultus quievit. *Mansfeldius tria.*

Crepusculo matutino Papenhemius *Craccaviam*, proximum urbi munimentum, aggressus est: sed præsidiarij solo oppugnantium fervore pavefacti, relicto loco in proximas turres confugerunt. Idem Papenhemio videbatur fortalitia expugnare an turres, admotisq; legionibus superior evasit, & jugulatis omnibus, erumpentes urbe milites, multatos octoginta viris, rejecit in urbem: quid enim adversus hos in campo milites, quibus nec munitionibus turribusq; tecti pares erant? sed omnia experiri periculum suadebat, ut quatenus pellere hostem non poterant, eruptionibus distinerent.

Imperatoris Duces experti regere milites, ingenti labore defunctis, ad dies aliquot quietem indulserunt: ut si interim Magdeburgenses, immi-

nentium victorum ferociam extimescerent, spatium tractationi daretur, & delinquentibus ad obsequium Cæsaris redeundi facultas. Sed incassum omnia, cum Falckenbergius & Administrator, pertinaces laudarent, vacillantes confirmarēt. Sic pro pœnitentia semper odium in Cæsarianos recruduit, & ab his in Magdeburgenses indignatio; adeoq; Papenhemius, Virgineam ad Insulam fortalitium, transmissis rate militibus, novo spiritu aggressus, citra militis unius damnum occupavit.

Alia propugnantur 28. Apr. Altera die vice tribunus Grotta propugnaculum unum, quasi indignum fistulis judicaret, gladijs expugnavit. Quod ut in vicino fortalitio viderunt, ferri fulgorem non ferentes, fugere quam pugnare maluerunt. Quod vacuum victor ingressus, præsidio firmavit.

Et jam non nisi noctibus feriabatur, itaq; ut dies illuxit, quod unum restabat grande fortalitium Telonij dictum, duplici vallo fossaq; munitum; experiri placuit, & disiecta non modica tormentis munimenti parte, cum assultus pararetur, tanta, ad singulos motus, vis imbrium effusa est,

tanta ventorum violentia coorta, ut non naturali quoquam modo Cæſariani; ſed veneficio quodam ſubmoveri viderentur. Diſtulerunt ergo in craſtinum neceſſario impetum, & tunc omnia proniora erant, adeoq; ipſe hoſtis favere videbatur: cum propugnaculum, quod non niſi copioſo ſanguine expugnari poterat; ultro desereret.

Fortalitium ad telonium Magdeburgenſes deſerũt 1. Maj.

Jam omnibus fortalitijs munitionibusq; Cæſariani obſeſſos excuſſerant: urbs ipſa reſtabat expugnationi obnoxia, & cum illa de conditionibus non loqueretur, præcipitare tamen Tillius non voluit: ſed novem diverſis ſcriptis Litteris, ad Senatum, ad Adminiſtratorem, ad Falckenbergium, eos ſerio ſemper clementerque monuit: ut cum ſubſidium nullum eſſet, hoſtem in cervicibus & tantum non in urbe haberent, extremam præ oculis ruinam viderent tempori fortunæq; cederẽt, præſidium urbe, quod alias violenter irrumpat, ultro reciperent, Ferdinando Imperatori obedirent, probum clementemq; eſſe, optima quæque de eo ſe polliceri, ſin minus (quod non ſperet) in rebellione pertinaces

Tillius Magdeburgenſes admonet.

tinaces

tinaces perseverent, perditionis eorum innoxium se fore, seramq; posteritatem orare (quæ dubio procul casum urbis aliquando miratura sit) ut post salutares tot monitiones ab illis contemptas, innocentem se pronunciet.

Nihil actum talibus literis, cum bonum omne consilium, & salubria quæq; monita Falckenbergius & Administrator, fallacibus, falsisq; expositionibus, apud credulum vulgus corrūperent, miseramq; adhortationib⁹ suis plebem traducerent, & inani promissione subsidij confirmarent.

Doluere vices Magdeburgensium Cæsariani Duces, & cum omnia (quā inuiti præparabant) necessario expugnationem suaderent, non ante tamen auspicabantur, quam Magdeburgenses continuis tormentorum explosionibus infesti, Sudeburgum & Neostadium, plus quam suburbia, subdito igne delevissent: veteremq; se in urbem recipientes, multo, quam antea magis, molesti essent. Tunc demum desperatione agi obsessos animadversum est, quassatisq; mœnijs, magna murorum parte humiliata, insuper accensis cuniculis, ruptisque

que non uno loco obstaculis, furiosus miles irrupit.

Primus in urbem ferox Papenhemius: sed huic cum potissimis viribus Falckenbergius occurrit, & nonnihil retro pulsus cessurus videbatur, nisi Falckenbergius ille glande trajectus, quem occupaverat locum corpore texisset: & fas erat ut expugnari cœptam sua fallacia urbem morte sequeretur. Hujus obitu civium fervor multum elanguit.

Magdeburgi excidium 20. Maj.

Falckenbergius cadit.

Interim alia etiam parte Tillius urgebat, & omnibus simul locis cedere turbati cives incipiebant, quos acrius Cæsariani urgebant, & in urbem paulatim recedentes sequebantur: sed è domorum tectis mulieres, pueri, puellæ, & quicquid ferendo armis non erat, in subjectorum hostium capita lateres devolvebat: sed omnia victor miles contempserat: cum ad spolia festinaret.

Erat itaq; non jam pugna sed cædes. Cum nihil ergo proficere cives viderentur. Ad hoc præparatis à se & Falckenbergio per urbem cuniculis, versa in rabiem pertinacia, ignem injiciunt, qui victos simul & victores rapuit. Nec hisce contenti. Mutilatæ,

Cives urbem incendunt.

tæ, insuper urbi flammas adjungunt, ut quatenus eripi Cæsarianis Triumphis non poterat, arderet. Ignem Cæsariani spe prædæ nitebantur extinguere: sed quasi ventus in excidium quoq; urbis conspirasset, vehementius flavit, ut allambens vicinas domus flamma corrumperet, & operosa civitas, duobus templis, centum quoq; & triginta novem domibus exceptis, universa consumeretur.

Administrator capitur. Indignabundi victores, cum speratas opes invidia devoraret, crudeliter in authores sæuiebant, & sine respectu quos nancisci poterant trucidabant. Optimum quod superat spolium Administrator vivus in manus venit, & in castra Papenhemiana deductus, intuebatur excidium quod ipse causaverat. Et captam videns captivus urbem, capere poterat, de illius, sui mali solatium, nisi ille horror, ille ignis, ille morientium gemitus, ille occidentium tumultus, sensum omnem abripuissent: nec enim aut Saguntus, aut Troja funestior clade fuit. *Triginta millia perierũt.* Triginta incolarum millia ferro & igne perierunt, plurima tormenta bellica in manus venerunt:

viginti

viginti quatuor peditum, sex equitum signa rapta sunt, & quæ supererant domus spoliatæ.

Nec tantæ cladi incolarum quisquam superfuit, nisi qui ad metropolitanam ecclesiam se receperat: servatus quippe est templo honos, & in eo clausi centeni aliquot vita donati. Sic ferro, igne, excidio, perfidæ rebellioni parentatum est.

Movere hic casus quamlibet civitatem posset, ne suis freta viribus facile rebellioni assuescat: cum illa ad invidiam munita & potens, tot Imperatoribus impunè contraria, quorum impetus semper eluserat, ad extremum non uno letho perierit. Et illa tot mercatorum palatia, quæ opportunitate loci paulatim surrexerāt, tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas potuissent, dies una straverit. Immo inter maximam urbem & nullam, inter Germaniæ oculum & fœda rudera, inter, ad id temporis, virginem & vi constupratam, paucæ duntaxat horulæ, interfuerunt: summæ mutationis breve tempus. Sic quicquid longa series multis laboribus multa DEI indulgentia struxit, id ne totus quidem *Non facile rebellandum.*

dies

dies ſpargit ac diſſipat. Adeoq; longam properantibus malis moram dedit, qui diem dixit Reipublicæ evertendæ ſufficere, cum ſuffeciſſe horulas experti fuerimus.

Et eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium, rerumq; noſtrarum, ſi tanta celeritate repararentur cuncta, quãta finiuntur. Nunc autem ingentia brevi tempore damna teſtudineo gradu promoventur, nec decades annorum reſarciunt, quod ſpatium horæ diſiecit.

Utcumq; autem ſuis Magdeburgum cauſis perierit, metuam tamen urbibus etiam æqua facile ratione bellantibus, cum aliunde mala unde minime exſpectantur erumpant, & à mobili facile vulgo, quod juſtè inchoatum videri poſſet bellum, in injuſtum tumultu & inſolentia degeneret.

Quæ niſi Magdeburgum fortaſſis perdidiſſent, antequam perditum fuit, priſtinam in poſteros felicitatem transmiſiſſet. Et ne nunc quidẽ reſurrecturum deſpero: fortaſſe ſua culpa conſumptum fuit, ut poſtquam pœnam luit, in melius excitetur. Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria.

Multa

Multa ceciderunt ut altius surgerent & in majus. In hac quoq; urbe opportunitate loci verisimile est, ut majora paulatim restituantur quam perire. Quæ utinam diuturna sint, & melioribus in ævum auspicijs feliciter condita, sine tumultu possessa, jugiter posteris sine rebellione tradita; hoc favemus.

FLORI GERMANICI
LIBER TERTIUS.
CONFOEDERATIO LIPSIENSIS.

CUm invictissimus æque ac Religiosissimus Imperator Ferdinandus II. per belli Duces suos hucusq; felix & Augustus, quas à duodecim jam annis victorias & triumphos habuerat, Catholicæ Religionis beneficio, in fidei suæ authorem gratus, asscriberet, hac eius pietate Ecclesiastici quidam freti, tandem de suorum restitutione bonorum, post Passaviensem transactionem ereptorum, cogitare cæperunt: &, prævia deliberatione, profecti ad Cæsarem, animi sui sensum aperuerunt. Imperium *Ecclesiastici Cæsarem movent ad Ecclesiastica bona repetendâ.*

jam

jam Imperatoris, & devictis in circuitu hostibus, nullum, quod remoraretur, periculum esse. Non injusta se postulare, nec alia quam ipsi antea Protestantes diversæq; religionis unà concluserint; cum juramento se nulla porro Ecclesiastica bona invasuros, obligarent. Catholicos fidei suæ tenaces fuisse, nulla protestantibus templa extorsisse, cum illi (deterioris utique fidei) in contrarium omnia fecerint; & contra divinâ pariter & humanam legem, contra suum ipsorum jusiurandum, non templa tantum & cænobia, sed prælaturas etiam, & Archiepiscopatus, ut Magdeburgensem, & Bremensem, & Episcopatus, Mindensem, Halberstadiensem, Verdensem, Lubecensem, Ratzeburgensem, Misnensem, Merseburgensem, Naumburgensem, Brandenburgensem, Havelbergensem, Libussensem, & Caminensem, præter Imperialia ista Cænobia, Guttenburgense, & Hirschfeldense, deglutientes, in prophanum usum verterint. Non omnia hæreticis indulgenda esse; quem alias finem, inexplebilem eorum cupiditatem, habiturum? Quod fecerint quippe, à tot annis, porro facturos, &

Ratio-nes eo-rum.

quod

quod non faciant, à nulla eorum bona voluntate, sed metu & occasione stare cum illi itaque modum sibi non statuant, à Cæsare statuendum esse, & quæ restituere de jure debeant, restituere tandem monendos, cum refractarij paratissimis exercitibus cogi possint.

Æcqua postulare visi sunt. Sed aderat conficiendæ rei difficultas, cum potentia Ducum, qui occupaverant, magna esset, culpabiles Imperiales urbes plurimæ, & adversariorum, per Imperium, diffusa multitudo. *Difficultas rei.*

Et profecto, cum nuper, ex eadem prope causa, ab immediatè Imperatori subiectis in Austria rusticis, ingens periculum fuisset, quid non turbarum daturum erat tot simul insurgentibus terris? Et quid aliud, quæ vix ab illatis cladibus spiritum receperat, misera Germania futura erat, nisi in exitium suum merces?

Hæc volvere Imperator de Imperio suo poterat, tamen, cum adultæ propemodum jam à sæculo, ob transactionis Passaviensis violationem, diffidentiæ, & restitutis in integrum Ecclesiasticis, certam tandem in Imperio pacem anhelaret, clementissime *Cæsar Ecclesiasticorũ bonorũ, post transactionem Passa*

acquie-

Viennensem ereptorum, repetit Anno 1629. 6. Apr. acquievit. Itaque acerrimum Viennæ mandatum, ad omnes Imperij Principes, ad omnes Imperij urbes, exivit, quo, sub pæna omnium privilegiorum, immunitatum, jurium, & Imperialis fulminis, seu banni, de facto, Ecclesiasticorum bonorum, post Passaviensem transactionem ereptorum, restitutio urgebatur. Quo uno Cæsaris edicto, Archiepiscopatus, ut vidimus, integri, Episcopatus multi, prælaturæ plurimæ, Ecclesiarum cænobiorumq; millia, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium revocabantur. E contra ingens, per Imperium, consternatio, metus, turbatio, murmur; cum plerique insurgerent, quorum intererat.

Ratio quare. Nec sane quicquam opibus aut scelestius quæritur, aut mæstius perditur; præsertim cum adjuncta sit quædam aliquando fere necessitas. Duces & Principes numerosam prolem, Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, aut vicinis, aut faventibus, præficiebant; cum esset opibus conjuncta quædam Principis dignitas, nec tantum bene, sed liberaliter etiam alerentur. Imperiales urbes Ecclesiasticis prælaturis ærarium curantes, fiscum

cum locupletabant, & facilius communia Reipublicæ onera sublevabant. Hos eripi sibi ex ore bolos omnes pariter murmurabant. Ut ergo edictum Cæsaris, aut luderent, aut mora invalidaretur, exequutionis dilationem urgebant; ut, cum res illa totius Imperij videretur, generali quodam conventu statueretur, aut componeretur.

Eorum petitio.

Cæsar jam à sæculo fere, generalibus Imperij Romani Comitijs decretum & confirmatum respondit, & solam exequutionem, ob transgressorum continuas confœderationes, minas, tumultus, & bella Turcica, hucusque impeditam fuisse; adeoque non generalia rursus Comitia, sed exequutionem, obedientiam, & restitutionem, necessariam esse. Hanc sibi, ut Romano Cæsari, imperandam, & certam, de cætero, Germaniæ pacem procurandam restare.

Responsum Cæsaris.

Protestantes tergiversari, & sequenti anno, Ratisponensibus in Comitijs, multum, de Cæsarianorum militum deprædationibus, hybernis, stativis, extorsionibus, & contributionibus suis (quæ omnia, cum vel maxime Gustavus Adolphus Ger-

VVallenstenius in Comitiis Ratisponensibus exau-

thora- maniæ immineret, abrogari, & pro-
tur. hiberi volebant) questi, hoc, cum Ca-
Anno tholicis etiam nonnullis Principibus,
1630. effecerunt, ut Albertus Wallensteni-
us (quem fidissimum Imperatori non ignorabant) cum magna parte Cæsariani exercitus, exauthoraretur. Pernitiosissimo certe consilio, cum se ipsum, amputata quasi dextera, Cæsar exarmaret, & nucleus suorum militum, ad Gustavum Adolphum, & mox in se Confœderandos protestantes Principes, transfugeret.

Protestantes Lipsiæ conveniunt. Anno 1631. 28. Feb. Siquidem, non multo post, suæ religionis conventum Lipsiæ indixerunt; quam una eademque die, Saxo, & Brandenburgicus, Electores, intrarunt. Comparuere etiam, Altenburgici, Vinarienses, Coburgenses, & Eisenachij Duces; insuper Landtgravius Hassiæ Casseliensis, Comes Palatinus Sultzbacensis, Marchio Durlacenus, & per legatos suos, Wirtenbergæ Dux, & pleræque Imperiales & Hanseaticæ civitates. Diebus aliquot deliberatione consumptis, cum nemo quid ageretur subodorari potuisset, mox inopinatum ad Cæsarem Lipsia scriptum exivit, quo varias in eum noxas derivantes, Germanicæ libertatis

tatis everſorem inſimularunt; ut qui agonizans Romanum Imperium, ſuis adeo viribus, exercitibusq; debilitarit, fulcra Religionis pacisque evertérit, ut, niſi commodo aliquo medio provideretur, ſurſum omnia atq; deorſum ruitura viderentur. Se certe, inſolentias, hyberna, & ſtativa militum, extorſiones inſuper & contributiones, ulterius non toleraturos. Si autem propter hæc vis inferretur, conſcripto milite, vi reſtituros. Quod ad edictum autem Imperatoris attineat, ſe non probare. Si Cæſar autem omnia, quæ jam occupaverat, Eccleſiaſtica bona reſtitueret, tunc amicabiliter componendæ rei legatos miſſuros. *In Cæſarem invehuntur.*

Percuſſit inopinatum telum Cæſarium pectus, & easdem, tanquam majoris momenti, litteras, ad Catholicos Electores transmiſit: qui alio ſcripto in Proteſtantes invecti, rebellionis inſimulaverunt, ut qui, nulla juſta de cauſa, in Cæſarem legitimum Dominum ſuum arma crepent. Se enim inſolentias, hyberna, & ſtativa militum, extorſiones quoque, & contributiones, æque, & amplius etiam, quam proteſtantes aliqui, toleraviſſe, non *Electores Catholici reſpondent.*

ideo tamen in Imperatorem bella minari. Ferrum, cum Romano-Catholicis, Gustavo Adolpho potius, quam Imperio Romano ostenderent, ut, omni hoste submoto, & certa in circuitu, stipulata pace, miles omnis, & simul omnia, cum eo, belli incommoda, tota Germania semel proscriberentur. Non Imperatorem etiam fulcra Religionis pacisq; evertere, sed Protestantes dudum evertisse: hinc scissam in partes Germaniam, & agonizantem, eorum rapacitate, Germaniæ libertatem, uno eodemque justo edicto Ferdinandum Cæsarem, in pristinam unitatem, prosperamque valetudinem, ut Imperatorem Germaniæque caput, restituendam suscepisse. Quod de alia vero compositione loquantur, Cæsarem non intelligere, cum transactio Passaviensis norma & regula, ad quam se Germania tota conformare debeat, clarissima sit, nisi Protestantes, ut appareat, aliam adhuc transactinem Passaviensem extorquere ferro conceperint. Denique Ferdinandum Cæsarem, sine prostitutione Cæsariæ authoritatis, quæ legitime semel occupaverit, Ecclesiastica bona, reddere non posse,

pacis

pacis tamen ergo, Francofurti ad Mœnum, ſuſpenſa tam diu in cæteris executione, pro tertia die Auguſti, conventum utriusque partis indulgere; ut ſi contra transactionem Paſſavienſem, aut in executionis puncto, à Catholicis nonnihil exceſſum videretur hac in parte conferre, & amicabiliter convenire liceat. Ab ipſa autem transactione Paſſavienſi, nec abire Cæſarem debere, nec poſſe.

Nihil reſponſum Electorum Catholicorum aut conſilium valuit, confœderatio ſucceſſit, & juramento invicem obligati Principes, Urbiumq; legati, in ſuas quique regiones profecti, per totam late Germaniam, fruſtra inhibente Cæſare, delectibus ſtuduerunt. *Conclusio confœderationis Lipſienſis. 10. Ap.*

Nec deinde quicquam toto Imperio intactum armis fuit: ſed ſimul pariter quaſi unum undique bellum. Prorſus ut confœderatio illa diffudiſſe quædam belli incendia tota Germania videretur. *Protestantes arma parant.*

Tamen ſic quoq; par omnibus Imperator: & cum à Septentrione Svecus immineret, & hunc ſuſtinebat, & in Sueviam, Wurtenburgenſes, Vlmenſes, Franconiam pariter & Haſ-

ſiam diverſa per terrarum arma mittebat.

Campidona & Memminga jugum accipiunt. Suevia mandata Furſtenbergio Comiti, nec diu reſtitit: tota enim Provincia in duabus urbibus ſuperata eſt. Nihil Campidonæ atque Memmingæ Suevorum favor profuit: ambæ Lipſiaco renũtiare fœderi debuere, præſidium ſinu admittere, & ſingulæ octoginta millia florenorum, ne ſpoliarentur, dare.

Inde in Wurtenbergicum Ducem movit: nec huic ſedecim millia militum profuere. Expugnatæ urbes in conſpectu exercitus, totoq; fere Ducatu exutus, Regione ſua debellatus eſt: nihil enim ultra valuit, quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite poſtremum cauda minantur. Quippe cum inſequentem effugiſſet hoſtem, unam Tubingam tuebatur: ſed quid illa poſt totam Provinciam? itaque & ille fœderi renunciavit, exercitum dimiſit, arma depoſuit, præſidium in Provincia aluit, obſequium, debitam que Cæſareæ Majeſtati obedientiam promiſit.

VVurtenburga Dux fœderi renunciat.

Similiter Vlma. Ulma Wurtenbergenſes vicinitate & exemplo ſequebatur: nec famoſæ ejus divitiæ ditionem defendebant, &

vel invita Lipsiacum detestata fœdus, si non animũ, hostilia arma posuit, milites tradidit, quatuordecim peditum cohortes, tres equitum turmas, suo receptas gremio, sex alere septimanis promisit.

Verum enim vero quasi secundo Rheno victoriæ navigarent, ita in Franconiam Vlma descenderunt: nec ille circulus ausus resistere, Legatos cum victoria venientibus obviam misit, & devotum Cæsari se fore pollicitus, conscriptam recenter militiam exauctoravit, & iniquum fœdus, quod Cæsar dãnabat, ipse damnavit. Et hæc ea brevitate gesta sunt qua scripsimus.

Etiam Franconia.

Hassiam Tillius arripuit: non alius enim illo Landtgravio aut pertinacia aut delectibus gnavior; ut qui Lipsiarum fœdus pectore profundo mersecat. Summa Tillio benevolentia erat: itaque ad auditam socii nuper Landtgravij intentionem, non statim ad arma procurrit, dum prius de rebellione queri maluit; ut pristini fœderis & beneficii memor arma deponeret, & pace frueretur.

Tillius in Hassum movet.

Itaque Generalem vigiliarum magistrum Cassellas misit, qui sua ditione quinque legiones reciperet Landt-

Illum ad quiẽ

ctum hortatur. gravium hortaretur: conſcriptum militem exauctoraret: Zigenium & Caſſellas Cæſario muniri præſidio pateretur: conſuetas penſiones ſolveret. Sin minus: aut amicum ſe aut inimicum diceret.

Landtgravius reſpondet. Venit, propoſuit: ſed alius erat Gulielmus Landtgravius quam ſperabatur. Nec amicum ſe fore nec inimicum reſpondit: nihil minus in animo habere quam arma deponere. Legiones admittere, Caſſellis præſertim & Zigenio, etiam indignari: nec enim tyronibus ſuis cum vetera-nis Tilly convenire. Si penſiones verò exigerent facilius eas à Catholicis, Religioſimilibus, impetrandas.

Tillius Haſſiam affligit. Obſtupuit reſponſo Tillius, & Legionibus ſuis Landgraviatum ingreſſus, omnia populatus quæ attigit, oppida occupavit, tyrones diſperſit, agricolas exarmavit, ſub ipſa Caſſellarum mœnia hoſtes pepulit: quas ipſas mox, cum ſuo Landtgravio, obſidione preſſit.

Et magnum erat urbi periculum, niſi ſiniſterior è Pomerania, de Rege Sueco, fama, Albim verſus, Tillium traxiſſet. Tunc fremens eripi ſibi è manibus victoriam, minas adhuc ſperans

rans, recessit. Agnovit fortunam Landgravius, & lætabatur quasi vicisset, qui evaserat.

Cætera confœderatos concernentia, quoniam imminenti, oportune illis, Svecico bello fortuna miscuit, proficiscentem ad hoc bellum Tilliũ calamo sequamur.

BELLUM SVECICUM.

SVeci, Gothi, Wandali, & quicquid populorum latet sub hisce nominibus, ut Finnones, & absurdissimi gentium Lappones, extremum inter Septentrionem habitant & Orientem. Temperatam ferè ultimi excedentes Zonam, ad glacialem Oceanum, novamq; & incognitam plerisque Zemblam porrecti, & ingentem omnes, cum Norvegis septingentarum in longitudine milliarium, peninsulam habitant, conjuncti Russico, continenti, Isthmo. Qua in Borussia & Pomerania Venedos Polonosq; aspiciunt, vastissimo tractu Balthici maris ripam pariter & Sinum faciunt. *Qui & unde Sueci.*

Hi simul populi, suis olim sedibus profecti, innumerabili multitudine Sarmatiam, Pannoniam, Bulgariam, Græciam; inde in Ostrogottos Wisigottosq; *Vetera eorum bella.*

ſigottosque diviſi, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, uno velut diluvio inundarunt.

Nec Fretum Gaditanum & imminentes Herculis ſpeculæ Wandalos terruerunt: ſed vergentia in unum hinc Hiſpaniæ inde Mauritaniæ littora, mare & inteſtinum, & externum, ratibus tranſmittentes, ſeptuaginta annis Wandalicum, in media Africa Carthaginisq; ruinis, regnum ædificaverunt. Et tantum non evertentes Romanum Imperium (quod anxium in Oriente ſpiritum trahebat) ſub Alarico Gothi, falſo æternam urbem, Romam primi expugnarunt.

Has, unde illi populi, terras, hos ipſos populos, ſæpius vices variante fortuna, nunc Daniæ nunc Sveciæ Reges tenuere. Legitima inde & conſtanti ſucceſſione, & ipſi, & in majoribus ſuis, qui nunc Poloniæ Reges. Poſtremo ad eum, de quo nunc dicturi ſumus, Guſtavum Adolphum, nec Alarico aut Totilæ, aut ulli ante ſe Gothorum Suecorumque Regi, virtute ſecundum (neſcio quo jure) devoluti ſunt.

Guſtavus Adolphus eorum Rex.

Huic hæreditarium cum Poloniæ Regibus, Legitimis Sueciæ Succeſ-

Ejus cum Po-

ſoribus

ſoribus bellum: quod inducijs aliquando diſcretum, Anno 1626. partium voto recruduit. Tum Suecus Balthicum diu navigans mare, ſubita excenſione, in Boruſſiam inopinatus irrupit; adeo ut apertis vicina oppida portis caperentur. *lonis bellum.*

Cum tempore proficiebant victoriæ, & Guſtavus Adolphus paulatim Stratagematibus ſuis, in Boruſſiæ viſcera proficiebat. Adeoq; revera periculum erat, niſi à fronte Thorunnium, & à tergo Gedanum, in fide Poloniæ Regi Regnoque debita perſeveraſſent. Illud enim oppugnatum à Suecis, animante Gerhardo Dönhoffio Comite, fortiſſime reſtitit; & hoc omnem Guſtavi Adolphi conatum, inſigni zelo, à tergo deſtruxit. De ſumma tamen rei, juſto prælio, apud Suecos cavebatur, quamvis Generaliſſimus Poloniæ Regni Staniſlaus Konecpolſcius, magna ſua cum gloria, non ſemel offerret. Adfuere & in ſubſidium Sigismundo Regi, ſub Adolpho Holſatiæ Duce, & Arnhemio Mareſcallo, Cæſariani; quamvis nonnulli hoc plus obfuiſſe, quam profuiſſe, Poloniæ Regno cenſuerint. *Varia fortuna geritur.* *Konecpolſcij virtus.* *Cæſariani Polonis accedunt.*

Ut ut ſit, Guſtavus Adolphus ab

Gustavus Adolphus indignatur, hostibus in auxiliatores, à Poloni, in Germanos, à Sigismundo Rege in Imperatorem & Imperium odium vertit. Nec deerant, ad hoc quasi geniti, qui concitatam semel bilem, aut Imperatoris metu, aut indies ejus proficientis fortunæ invidia, aut propagandi Imperij sui ambitione, jugiter eam accenderent.

Arma in Cæsarem parat. Sed quoniam, adversus victorem toties hostem, totius fere Germaniæ potentem, exercitatîssimos Duces, Tribunos, & milites, ad manus habentem, movendum erat non temere bellum, præsidia, nec illa contemnenda, necessaria videbantur.

Eius literæ ad Bethlehemum à Cæsare intercipiuntur. Itaque, ut alias, confœderatio cōquebatur, ut qui aperto bello expugnari non poterat, per unius latus, multorum clanculo viribus, oppugnaretur. Misit ergo ad Gabrielem Bethlenum (tunc adhuc in viuis) Arithmeticis quibusdam notis scriptas literas: sed has in Cæsaris manus fortuna transtulit: ut ab illo Rege quid sibi promittendum, antequam pugnaret, Imperator aduerteret. Et cum vindicare posset, dissimulare maluit.

Cum Polono in- Nihil hoc casu motus Gustauus Adolphus, qui absterrere debuisset, irritavit.

ritavit. Et cum omnia jam matura videren tur, cum Rege Poloniæ, intervenientibus illis quib⁹ potiores videbantur Imperij clades, sex annorum inducias pepigit. *Inducias facit.*

Mox in Imperium, viris, armis, terra, marique movit, & Stralesondā tertio jam anno obsessā, tertio defensam, obsidione liberavit: & terra mariq; infestus, Ruga demum insula Cæsarianos pepulit: Usedomam insulam occupavit: Wolgastum deditione accepit. *In Imperium venit & Stralesondam obsidione liberat. An. 1630. 4. Iul.*

Inde Metropolim Pomeraniæ Stetinum proficiscenti, Bogislaus Dux obviam venit, Hic, assumpta quadam controversiarum larua, præsidium, quod Cæsarianis denegarat, urbe admisit, quam Gustavus Adolphus sedem belli destinavit.

Cum ergo initium belli Germanici fecisset, quorum aut viribus aut votis faceret, paulatim erupit. Adfuere Gallici, Batavici, Anglici, Moscovitici, venetique legati, in Austriacam domum omnes obliqui. Horum decreto Gustavus Adolphus, Rex ipse, Regum rerumque publicarum constitutus est Generalis. Galliæ Rex quater centena millia imperialium annua promisit, reliqui pro sua facultate ut conuenit. *Creatur hostium Cæsaris caput.*

Sed

Sed callidus Svecus Rex nudis promissionibus, Daniæ Regis exemplo commotus, fidem non habuit. Itaq; obsides postulat: à Franciæ Rege septem Amsstelrodamum mittendos: à Venetis duos Stockholmiæ in Svecia mansuros: à Britanniæ Rege & Moscovitis, locis à se designandis, moraturos. Batavis fidem habebat.

Hæc illi, ut putabant, clanculo agebant: hinc Gustavus Adolphus ut Germaniæ, populis quur in Germaniam veniret, fucum faceret, caussas typis euulgavit. Suos Lubecæ, cum ibi de pace ageretur cum Daniæ Rege, legatos à subdelegatis Cæsaris querebatur non admissos; adeoque jus gentium violatum. Litteras ad Gabrielem Bethlenum à se missas, à Cæsarianis interceptas & Imperatori transmissas, contra fas apertas, lectas, & alio quam ipse scripserat sensu expositas. Quod contra majorum morem suis nauibus Cæsar Balthicum nauigaret mare. Quod cum Poloniæ Rege se belligerante, huic, sub Arnhemio Marescallo Cæsariani auxilio fuissent, & currentem ultro victoriarum cursum stitissent.

Causas divulgas quare in Imperium venerit.

Sed hæc omnia Cæsar in culpam

ejus retorquebat. Ac primum quidem subdelegatos suos Lubecæ Svecicos admittere voluisse, si prius Gustavus Adolphus suum Stralesonda præsidium revocasset: non aliam enim cum eo rationem agendi fuisse. *Hæc Imperator in illum retorquet.*

Literas ad Bethlenum, interceptas, Arithmeticis quibusdam notis scriptas, quid ni aperiendas fuisse? Ad Gabrielem Bethlenum toties rebellem, toties perfidum, & suum hoc tempore hostem, quid à suspecto Rege nisi in perniciem Imperatoris & imperij scribi poterat? atque hoc ipsum obscuritatem litterarum indicasse: nisi enim aliquid aut sibi aut regnis suis adversum continuissent, candidis literis, non notis, scribi oportuisse: sed super hæc satis se sensum eruisse, & fore aliquando sibi cum eo bellum intellexisse.

Quod Balthicum nauigaret mare quis impediret? quasi vero quod Gustavo Adolpho Daniæque Regi liceat, Romano Cæsari non liceret: scilicet ut compressis Cæsar manibus Sveciæ Regem navibus suis Stralesondam navigantem, milites & commeatum invehentem, è suis portubus specularetur, & Imperij urbem Imperator non vendicaret.

Quod

Quod ſub Arnhemio Mareſcallō ſubſidium Poloniæ Regi miſerit, non aliud feciſſe, quam ipſe prius fecerit: aut cum ille Straleſondam occupet, Imperij urbem vendicet, Daniæ Regi aſſiſtat, quam ipſe uſurpet poteſtatem, uſurpare Imperator non poſſet?

Sic illi quidem literis, mox armis: & Rex quidem Svecus Pomeraniam ſuæ jam poteſtatis fecerat, & eos quotidie faciebat progreſſus, quaſi fortunam in caſtris haberet. Nec abs rē erat vincere hominem, probatiſſimū militem, ſuper omnia humanum & continentem. Diſciplinam militarem curabat, meretrices caſtris exeſſe jubebat, in delinquentes ſevere animadvertebat: ebrietatem verò non aliter, quam omnis bonæ felicitatis corruptricem, diſſolutionem exercitus, peſtem caſtrorum oderat. Nec ejus farinæ homines in compoſito patiebatur exercitu; ut qui ferociam, quæ ſobria circumſpectione potius, quam quæ vino veniret, ſectaretur.

Guſtavi Adolphi militia mores.

Pronum erat iſtis moribus, & bona militiæ anima orbis Imperium occupare, ſi æquitas adfuiſſet, & fides: Sed ne ſic quidem Superi Politicum de-

ſervere,

ſervere, & morales remunerati virtutes ut veræ fælicitatis externa quædam lineamenta corpore tegebat, proſperiora principia fecere; & ad mortem usq; proſecuti; Imperij quoq; linamenta quædam videre dederunt; non frui.

E Pomerania itaq; Marchiam Brandeburgicam, Sileſiam, atq; Saxoniam reſpiciebat: & hoc opportuno tempore cum Lipſia confœderationem parturiebat. Et cum præſentes Principes, pro eccleſiaſticorum bonorum, poſt Paſſavienſem transactionem, retentione, pro religionis per imperiũ libertate & exercitio, fœdere jungerentur Rex ut auxiliator, ut protector & caput ſupervenit. Nec aliter illi acceperunt, miſſisq; legatis omnium facta eſt unio eadem, confœderatio una. *Lipſiaco ſædeo ri ducae tum præbet.*

Et jam, cum Brandeburgico, Saxoniæ Elector ultra viginti quatuor millia in armis habebat, pluribusq; adhuc ſimul locis delectus agebantur. Adverſus hæc omnia tot mala, tot hoſtes exauthorato Wallenſtenio, Johannes Tzerclaſius Comes Tillius deſtinabatur.

Ac primi quidem impetus turbo ad Cufurtum valido ſtatim fragore deton- *Damnũ patitur.*

detonuit: tunc Marescallo ejus Gothefrido Henrico Comite Papenhemio fusæ quædam Svecicæ legiones: & ipse adversarum partium ductor Franciscus Carol⁹ Comes Saxo-Lauenbergicus, vivus in Cæsarianorum manus venit. Et hic, quoniam nuper à Jacobo Anholdino Comite, captus, jurejurando nunquam adversus Cæsarem se rursus arma sumpturum promiserat, tanquam primitiæ, ad Cæsarem missus est.

Atque hoc Papenhemij felicitatis initium præsagium futurorum fuit. Quasi enim quis Svecos afflicturus esset docere voluisset; sic primam concessit illi fortuna victoriam, cui de Sveco Rege postmodum trucidato datura erat gloriam.

Tillius Neobrãdenburgum expugnat. Tillius Neobrandenburgum aggressus vi cœpit, & septingentis occisis, Cuiphusium præfectum urbis, cum uxore & liberis è latebris erutum, carceribus mancipavit.

Gustavus Adolphus Francofurtum ad Viadrũ expugnat. Gustavus Adolphus egregie has clades ultus est. Francofurtum ad Viadrum Schaumburgicus Comes septem Cæsarianorum millibus defendebat. Hunc aggressus, obviam venientem, extra urbem propugnaculis

culis ejecit, & fugientem, ad urbem, in urbem, extra urbem, uno impetu secutus, ultra Viadri pontem pepulit.

Magna ea Cæsarianorum clades fuit, cum expugnata urbe, ter mille vel occisis, vel submersis, octingentis captis, insuper viginti tribus militaribus signis, æneis decem & octo tormentis multarentur.

Aberat tunc cum Papenhemio Tillius, tum Magdeburgico, tum Hassico motu impeditus: sed hac quasi clade, cum aliæ insuper aliæq; nunciarêtur, excitatus, festinandum ratus, viginti sex millibus in Saxoniam movit. Antequam confœderatarum, cum Rege, Provinciarum, robora coirent urbes occupaturus, tironum delectus dissipaturus, &, si cederet, renunciare, cum vicinis Principibus, Protestantes binos Electores, Lipsiaco Svecicoq; fœderi coacturus; decurtatis hisce alis non alte sublevatum iri Regem ratus.

Et prosperrima fuere principia, Merseburgum, Naumburgum, Zeitsiam, imo Lipsiam tandem occupavit. Ad hanc victoria hæsit: & nescio quo fato rapidissimus procurrentis Impe- *Tillius Saxoniam subigit.*

Imperij cursus nonnihil supprimitur. Quod tempus Ferdinando Secundo Romano Imperatori nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, experiri volente immortali Deo, an Ferdinandi Secundi virtus in posteris suis Imperium mereretur.

Itaq; Elector Saxoniæ videns suas occupari terras, nolens Saxoniam diuturnam utrarumq; partium belli sedem esse, Svecico Regi suasit, Gustavus Adolphus an Ferdinandus esset Germaniæ jura daturus, prælio experiri: nec enim se pati duos in Electoratu suo Dominos, & à socijs æque ac hostibus provinciam subditosq; exhauriri.

Svecus cum Saxone in Tillium ducit.

Rex, cui Protestantium favor necessarius erat, in sententiam tractus est, conjunctisq; exercitibus, ad pugnam resoluti, Lipsiam duxere.

Tillius ad Lipsiam.

Non detrectavit Tillius certamen, & in editiore ad dextram colle tormenta disponens, secundum sibi ventum fecit; ut non armis tantum & viris, sed quodam veluti cum ventis commercio, pulvere insuper

& fu-

& fumo in Svecos Saxonicosq; pu-
gnaret.

Hoc advertens Guſtavus Adol-
phus, non parum conſternatus, reſo-
lutionis ſuæ pænitere videbatur: ſed
eo ventum erat quo ſine clade aut vi-
ctoria regredi non poterat. Inſtructa *Similiter Sveci.*
itaq; acie, ſua belli arte, participem
ſe venti fecit. In ejus exercitu Johan-
nes Banerius cum ſuis legionibus de-
xtrum cornu faciebat, cum ſuis Saxo
ſiniſtrũ. Inter utrumq; medius Rex
corpus exercitus Svecos, Gothos,
Finnones, Lappones, & junctos jam
corpore Barbaris & affectu Germa-
nos ducebat.

Nunquam ante hac ullo loco tan- *Vires utriusque partis.*
tum virium Germania, tantum di-
gnitatis fortuna vidit. Octoginta
millia hinc & illinc. Inde, illis in
campis, Rex, Elector, fortunatiſſimi,
ad id tempus, belli Duces, Tillius &
Papenhemius, probatiſſimi tribuni,
veterani milites, & utrobiq; ad vi-
ctoriam erectæ partes. Cum quarum
partium futura eſſet, dimicantes nu-
per in cœlo acies non obſcurè præ-
monſtraſſent.

Acherſlebiæ, media die ſerenoq; *Prodigium*
cœlo, unus veniens à Septentrione

exerci-

Futuræ cladis Anno 1631. 18. & 19. Iun. exercitus, à Meridie venientem exercitum, binis diebus, bis vicit fugavit, cecidit. Post Septentrionalis aciei belli Dux Meridionalis belli Ducem confecit, & ipse mox evanuit. Quid manifestius? Tillius altera post hanc, ad Rainum in Bavaria, clade vulneratus occubuit, nec postea diu Rex Svecus supervixit.

Prælium ad Lipsiam. 7. Sept. Itaq; in cœlo præluserant acies, ad Lipsiam præparatæ in terra stabant: & jam eminus tormentis occidebant, mox acies concurrere. Tillij consilium erat sinistrum prius debellare cornu, ut quod tironibus constabat, & facilius pulsum, injecturum veteranis reliquisq; copijs metum videbatur, causaturum cladem. Prius successit. Cum tormentis siquidem, & fuso à latere equitatu, adductisq; veteranis legionibus Saxonicos potissimum vrgeret, adeo turbavit, ut Elector ipse Saxoniæ, quatenus sistere *Saxo fugit.* fugam non poterat, una fugeret: quem insecuti levioris armaturæ Croatæ, tormentis signisq; potiti, mactavere multos.

Cæterum alterius partis longe alia fortuna erat. Rex, circumducto paulatim Tillio ventum sui juris fecerat: tum

tum, adhortatus suos, in nomine se-
Dei sequerentur, jussit: & missis pri-
us aliquibus Croatis obviam, legio-
nibus, fortiter in Cæsarianos inve-
ctus, non leviter concussit. Banerius
suum Regem exemplo sequebatur,
& irruentem in se Tillium manu qua-
dam quasi ipsius repulit.

Interim adversus Croatas missæ
legiones, Saxonicis tormentis signis-
que recuperatis, cum victoria rever-
tebantur, & speciem novi exercitus
præbuere. Ea res non parum Cæsaria-
nos turbavit, Svecos erexit, & in lan-
guidius jam pugnantes ferocius inve-
hebantur. Resistebant tamen adhuc,
à Tillio & Papenhemio confirmati.

Sed omnia Gustavi Adolphi con-
juncta virtuti fortuna superabat.
Itaq; ad extremum, quod nemo se
visurum unquam putavisset, factum
est: ut Cæsarianos, semper hucusq;
victores, veteranas legiones spolijs
diversarum gentium divites, cum
Ducibus suis, fugientes quisq; vide-
ret; adeo ut, quibus ante nec Reges
aut Principes, imo nullorum Ger-
maniæ populorum exercitus pares
fuerant, Gustavi Adolphi mutilatus
exercitus superior fuit.

Cum

Cæsoriū numerus à parte Cæsareorū. Cum vero assueti vincere milites pro more pugnassent, non alia fœdior clades fuit: octo millia ipso quo pugnavere loco cecidere. Et inter eos qui viri? qui Chiliarchæ? Decora & ornamenta exercitus sui, Adolphus Holsatiæ Dux, Otto Fredericus Baro Schonbergius tormentorum Generalis. Theodorus Othmarus, Erwittus Generalis vigiliarum magister, Tribunus Baumgartius.

Tormenta viginti novem, centum viginti militaria signa, Sveco cessere. Tillius ipse vulneratus est, & cum Rudolpho Maximiliano Saxoniæ Duce, Papenhemio & Furstenbergio Comitibus, Hallas primum, inde Halberstadium rheda fugit.

A parte Svecorum. Nec incruenta Sveco Regi victoria fuit, de ejus exercitu mille quingenti, insuper tribuni Teufelius, Hallius, Calenbachius periere. Chiliarcha Corvillius, à Victis, quod mirere, captus est: suæ partis victores cum fugientibus fugere coactus. De Saxonis exercitu duo millia, inter ea Bintausius tribunus, Starschedelius, & Lemmingerus, supremi vigiliarum magistri, desiderati sunt.

Rex noctem illam sub dio egit: nec

nec in molli strato, sed terra, ad excitatum à ministris ignem, pugnando pariter & imperando lassus decubuit: exercitus circa Regem suum armatus egit. Simul ac illuxit, Cæsariana castra, omnis opulentiæ plena direpta sunt, & occisorum corpora spoliata. Præda Svecicum omnem ditavit exercitum: cum nullus fuerit de victo exercitu miles ejus inopiæ, quin ad minus decem ducatos habuerit. *Cæsariana castra spoliantur.*

Refectis præda ciboque militibus, Gustavus Adolphus Hallas recta & Merseburgum movit. Iterum ibi globus armatorum obviam factus novum prælium fecit: sed fugatus iterum, & bis mille trucidatis, tria millia capta militiæ sacramento adacta sunt. Merseburgum deinde non restitit, nec Hallæ restiterunt, Gratzius & Winkelmannius vice tribuni carceribus mancipati, reliqui præsidiarij, polliciti contra fœderatos nunquam arma resumpturos, libere dimissi sunt. *Nova Cæsarianorum clades.*

Interim Elector Saxo, quasi ipse vicisset, ferox Lipsiam obsedit: dedere etiam se volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed cum Elector *Saxo Lipsiam recuperat.*

veram vellet & sine exceptione victoriam, tandem vel inuiti urgentis arbitrio se permisere. Sub Wangelero tria millia erant, hæc aut militiæ sacramento adacta, aut juramento nunquam adversus confœderatos militatura.

Megapolitani Duces terram suam.

Nec feriabantur ad Balthicum mare Megapolitani Duces, non ita pridē à Cæsare debellati Ducatuq; exuti. Hos Gustavus Adolphus dudum asseruerat, & nunc quasi manu reducebat. Itaq; exercitu jam pridem instructi, Wernemunda & Firmunda occupatis, Sverinum armata manu expugnaverant.

Gustravia cum Duces iterum suos videre averet, urbe, venientes, ultro acceperat, & Metropolim suam pleraq; sequebantur. Visniaria & Rostochium autem, etiam post victoriam, pertinacius restitere. Posterius ergo obsidione cinctum, & diu Duces suos non audiebat. Cum tandem, præsidiarijs varijs casibus plerisque consumptis, foris hostes, intus cives imminerent, vitam fortunasq; pacti discesserunt.

Gustavus A-

Hæc illi ad Balthicum mare securi faciebant, cum omnia à tergo victor Suecus

Svecus aut distineret, aut dissiparet. *dolphus*
Hic non urbes & oppida, sed integras *Halber-*
jam provincias debellabat. Halber- *stadien-*
stadiensis diœcesis jugum accepit. *sem di-*
Calba Anhaltinæ ditionis admisit. *œcesin*
Hinc in Thuringiam progressus Go- *occu-*
tham occupat. Cum Erfurto, non *pat.*
adeo à jugo Svecico abhorrente, *Etiam*
transegit: & illa urbs, quod Tillio *Erfur-*
denegarat, præsidium & præfectum *tum.*
sinu admisit. *22. Sep.*

Jam omnia præter Magdeburgum, à tergo amica erant, hoc Banerio, ut clauderet obsidione jussit. Sed ipse quam fortunatæ velocitatis erat? cum Rhenum & Mosellam sub imaginibus suis legi concupisset, relicta Saxonia, per immensa spatia impetum fecit, & ante in media Germania fuit quam timeretur. Sic inopinato adventu Aulam Regiam (Conicks- *Aulam*
hoviam vulgo) Franconiæ clavem *Regiā.*
cœpit.

Volat Herbipolim rumor ad Ducem, quem pijssimum tunc prudentissimumque habebat Franciscum Hatzfeldium, generosissima Hatzfeldiorum prosapia oriundum, cujus tamen ipse & gemma erat & decus. Hic itaq; cum exercitus ad manus

non esset, necessitati obtemperavit & tempori: nihil magis (quod optimi principis signum erat) quam subditos miseratus, quos non nisi cum gemitu deserebat.

Quo maxime tamen irritare Svecum poterat non intermisit, & thesaurum dolijs inclusum, ex esurientis quasi ore surripuit. Sic quoad fieri potuit imminentis vires dissolvit, cum belli nervum pecuniam sustulit.

Franconia Dux proficiscitur Coloniam. Quantum vero tempus patiebatur provisa arce sua, provisa urbe, moestus exivit, & in suburbio ludentes videns pueros ingemiscere auditus est, sortem, quam illi nescirent, miseratus. Coloniam Agrippinam tandem descendit, tantæque calamitati par, exilium ibi suum patienter tulit.

Cæterum vix urbe excesserat, cum hostis adfuit, sub Ducibus suis felicem populatus terram: veruntamen hæc prædatoria manus erat, quam toto exercitu Gustavus Adolphus sequebatur, cum intermedia & vicina omnia, Cæsariani metu dilapsi, deseruissent.

Herbipolense castrum Et urbi quidem ditionem extorsit: castrum vero Ducis, frustra sæpius compellatum, compositionem

 omnem

omnem respuebat. Credo Principis *vi ex-*
sui respectu, quem, paucis ante die- *pugna-*
bus, sua aula clausum, poterat ut *tur.*
præsentem, & testem omnium ima- *8. Oct.*
ginari. Itaq; nec fame extorta dedi-
tio est, nec minis globisq; fractum.
Sed, quod unum ad occupandum re-
stabat, integri exercitus violentia
expugnatum; jugulatis omnibus ar-
ma ferentibus.

Hic Herbipoli proficiscens terror, *Sueci*
vicinas quoq; urbes afflabat, dedito- *varia*
que Werthemio Mænum Regi navi- *loca, &*
gabilem faciebat. Qua ille commo- *Hanno-*
ditate usus, prono fluvio, prona feli- *viam*
citate, utramq; ripam vendicabat. *intercı-*
Sic varia oppida, & sedes Moguntia- *piunt.*
ci Electoris Aschaffenburgum, ju-
gum subierunt. Hannovia munitissi-
ma urbs, annum resistere poterat;
sed à Suecis (quo casu ego non di-
scutiam) una die intercepta est.

Sed & Francofurtenses obviam *Franco-*
venere, & quadam compositione in- *furtum*
ita, Regem sub aureo Cælo, congra- *Suecis*
tulantes etiam victorias cives, in ur- *acce-*
bem introduxere. Et paulatim Li- *dit.*
psiacæ confæderationis urbes, nuper
violenter abstractæ, animos resum-
psere; Cæsariiq; impatientes impe-

rij, Regem fœderis assertorem & caput, summo affectu exspectabant. Igitur.

Ut semel extinctum cinerem, si sulphure tangas,
Ardet, & ex minimo maximus ignis erit;

Ita, auctis majorem in modum animis, ad præsentiam Regis, omnes excitabantur, & ad fœderis societatem certatim redibant.

Sveci in Silesiam ruunt.

Nec uno jam loco Germania laborabat: Silesiam alia Suecorum manus invaserat, &, occupatis obvijs locis, ad Glogoviam usq; majorem, prædas agebat.

Saxo Pragã expugnat. 11. Novem.

Bohemiam Elector Saxo expugnabat, vacuamq; adortus præsidio Pragam, facili negotio subiugavit. Metropolim potior Bohemiæ pars, cum Egra, sequebatur.

Hassus Fuldam occupat.

Hassus quoq;, in Saxoniæ inferioris circulo, quo pertinatior fuerat, jam lætior, vicinis intolerabilis erat. Mundam ad Werram, Huxariam, & Fuldam armata manu cæpit, &, cum voti semper eiusdem fuisset, victoriarum quoq; particeps esse satagebat.

Aderant & Moguntiæ fata (cius Elector ad commune id temporis exulum

lum asilum, in Vbios profectus erat). *Moguntia. 13. Decem.*
itaque illa urbs cum magna magis quam
firma esset, deditionem fecit: quam
Wormatia statim sequebatur.

Inde ad Palatinatum flexo agmine,
omnia cum fortuna Regem respicie-
bant: quæ contemnere audebant ut
Bacheracum, Lauda, & Manhemium,
toto inuadebantur bello, & violenter
expugnatæ reliquis ne resisterent ex-
emplo erant.

Denique vix solus suis suffecit vi-
ctorijs Gustavus Adolphus, & plures
obnoxiæ occupationi urbes erant,
quam copiæ Ducesq; qui caperent.
Itaque in legiones fere divisus exerci-
tus & integræ provinciæ simul obru-
tæ jugum accipiebant.

Et jam quicquid inter Confluenti- *Georgius*
em atque Forchemium erat, Svecicis *Lunæ*
armis tenebatur. Insuper victoriæ *burgicus*
Regis alios aliosque hostes parturie *& Ad-*
bant. Georgius Lunæburgicus & Ad- *mini-*
ministrator Bremensis Herbipolim *strator*
(eam enim loci genio delectatus, & *Bremē-*
in aulam & in sedem belli legerat) ad *sis acce-*
Regem profecti, patentes ad scri- *dunt*
bendas legiones litteras accepere. *Sveco.*

Unus inter tot Ferdinandi clades,
qui succurreret, Lotharingus erat, sed

Franciæ Regis minis & motibus ad propria revocabatur.

Tillius vastissimas terras fuga emensus ad Ligæ suæ caput Bavarum confugerat, & è veteranorum reliquijs, & novellis quibusdam tironum legionibus, non contemnendum aduPnârat exercitum.

Itaque cum Norinbergam conatibus suis opportunam videret, quæ ruenti ulterius Sveco propugnaculum futura erat, obsidione clausit. Sed illa sub præfecto suo Comite quodam Solmensi, Svecico milite, Sveci Regis nomine defendebatur, & audentem eruptiones gladijs in urbem fistulisq; rejecit. Majora ausurus nisi de Sveci Regis aduentu nuntius terruisset. Adeo conceptus semel metus generosissimas etiam mentes humiliat & corrumpit; ut, cum imminentem minoribus copijs victorem aggredi non audeant, temeritatis judicent.

Tillius Norenbergam frustra obsidet,

Interim Generosus Gothefridus Henricus Comes Papenhemius, cum tribusquatuorue ministris, Coloniam Agrippinam venit: cum ergo Hassus in Coloniensis Electoris Westphalicis Episcopatibus pro libitu dominatetur, ad reprimendum saltem eum, si

debellari

debellari non posset, hunc Imperij campique Mareschallum cum potestate & una sub Lambojo tribuno legione Hammeliam Elector misit, quam Gronsfeldius paucis adhuc millibus defendebat. *Papenhemius in Westphaliã.*

Non aliter illac, rebus prope deploratis, quam Gylippus quidam venit: & varijs expeditionibus ad coercendos hostes imbutus, acriter in ultionem excanduit.

Sed prius in castris quam in campo, cum Cæsareo, quam Hassico milite pugnandum fuit. Veterani metu, hinc ignavia langvidi ad pristinam alacritatem erigendi erant: ipse adhortationibus varijsq; bellorum disciplinis erexit. Tirones excercendi erant, & instruendi: exercuit & instruxit. Ad hæc scorta, calones, sarcinæ nisi ad usum necessariæ amputantur. *Exercet militem.*

Tanti esse exercitum quanti Imperatorem verè proditum est. Sic redacto in disciplinam milite, in hostem movit, atque his militiæ moribus Verdam, Langhevvedam, & Imbeckam, sine militis unius jactura, occupavit. *Varia loca recuperat*

Inde venit in mentem Magdeburgum obsidione liberare: sed sufficientes deerant copiæ. Hac eum penuria,

ria, quodam infortunio non nihil fortuna sublevavit, Wismariam post Rostochium obsessam Megapolitani Duces, æquis conditionibus, ditioni receperant. Præsidiarij in Bremensem prius ditionem moventes omnis Administratoris equitatum dissiparunt, sic cum victoria ad Papenhemium ascendebant.

Wismaria dedita.

Præsidiarij Papenhemio se jungunt.

Veruntamen nec sic sufficiens erat, quod deerat autem stratagemate supplevit. Hildesium profectus illi urbi, pro sedecim virorum millibus panes coqueret imperavit, cum non nisi novem haberet. Cum advenisset autem, qui semel transiverant, caute circumductos, transire iterum fecit: sic spectatores fefellit, & plurium millium speciem præbuit. Hoc autem quocunque loco necessarium videbatur faciebat.

Accipiebat interim à benevolis suis una deceptis Banerius literas: itaq; cum resistendo sibi non videretur Chiliarchas convocavit, literas legit. Omnes attoniti prius unde ille tantus exercitus, mox turbati.

Magdeburgum obsidio.

Dum adhuc illi deliberant, esse in propinquo Papenhemium nuntiatur. Simul omnes ilico recedendum

 judicant:

judicant: hoc autem non ea celerita- *ne libe-*
te factum est, quin Papenhemius in *rat.*
extremum agmen invectus, rece-
dentes simul & turbatas fugere le-
giones compulerit. Sic omnia metu,
turbatione, fuga, occidione, misce-
bantur, & centenis aliquot trucida-
tis, Papenhemius Magdeburgum,
seu potius ruinas ejus, victor intra-
vit, & præsidiarios penuria fere ad
extrema redactos, suis devictorumq;
ferculis refecit. Erant autẽ sub gene-
roso Domino de Nersequatuor mil-
lia, veterana & exercitatissima
manus.

Cum ergo inter omnia hostilia, *Muni-*
magna illa solitudo defendi non pos- *tiones*
set, & ipse talibus viris indigeret, *destruit*
munitiones evertit, propugnacula
diruit, & quod destrui manibus non
poterat, subjecto rumpens pulvere
disjecit. Sic locum deseruit & fortis-
simo tredecim millium exercitu
in Guelphonis arcem movit; adeoq;
prima redeuntis & ut sic dixerim re-
viviscentis Imperij spes fuit.

Banerius ut movisse Papenhemi- *Bane-*
um audivit, quem oppugnaverat lo- *rius mu-*
cum ingressus, desertum veri⁹ quam *nitiones*
urbem videbat, opportunitate tamen *restituit*

 allectus,

allectus, munitiones restituit, & præsidio Magdeburgum firmavit.

Imperator Ferdinandus, cujus maximè res agebatur, præsentia omnia æqua lance ponderans, alium & numerosum exercitum necessarium existimabat: uno enim Tillio Sveco Regi resistebat, cui si altera vice adversum quicquam contigisset, nudum Imperij latus videbat. Et Gustavum Adolphum qui Lipsiaca clade, Lipsia Herbipolim venerat, alia clade (quod Deus averteret) Viennam venturum, & ante se debellatum iri quam copias repararet: Papenhemium & Gallassium procul esse, alterum Saxonico in Bohemia, in Westphalia alterum Hassico bello distineri.

Itaq; tutius videri præoccupare arma quam præoccupari: præsertim cum Imperium his tam probatis Ducibus ægre resistat. Hoc autem in præsentibus malis fortunam indulsisse, ut quod necessario faciendum sit, sine difficultate celeriter quoq; fieri possit.

Esse in Moravia, in propinquo Fridtlandum, cui ad militaris rei peritiam nihil natura, nihil ad felicitatem

tem fortuna hucusq; denegarit. Gratum præter hæc militibus esse, & super omnia beneficijs sibi suis obnoxium. Suoque proculdubio malo tangi, cum Megapolitanus donatus illi à se ducatus debelletur. In ultionem tacite excandescere, & fremere ad vindictam arma denegari.

Vera nominare, vera dicere Imperator visus est: itaq; certatim in subsidium ultro collata pecunia est. Hispaniarum Rex per legatos suos trecenta ducatorum millia dedit: Ferdinandus, Imperatoris Ferdinandi filius, Hungariæ Rex, cum conjuge sua trecenta imperialium millia: Illustrissimss Eggenbergius Dux centum imperialium millia: Reverentissimus Viennensis octoginta imperialium millia: Eminentissimus Cardinalis Dietrichstenius centum millia florenorum: generosus Comes de Michna centum millia florenorum: Amplissimus Imperatoris vicecancellarius Stralendorffius octodecim millia ducatorum. *Varij assistũt Cæsari.*

His bellorum nervis brevi tempore quodammodo compaginatus, ut ita dicam, in unum fuit exercitus: cui cum supremo imperij, pacis fere *Wallestenius fit Generalissimus.*

belliq;

belliq; arbitrio, toti⁹ Austriacæ Domus absolute Generalissimus, Albertus Wallenstenius præpositus fuit.

Hæc quidem Viennæ & in Austria, interim in Imperio victoriæ suæ cursum Gustavus Adolphus prosequebatur, & totum fere sibi Palatinatum subjecit. Avebat Patriam suam videre exul Fredericus, itaq; ille tanta Sveci Regis prosperitate excitatus, è consilio soceri sui Magnæ Britanniæ Regis, Batavis valedicens, triginta equitum turmis in Wetteraviam ab his deductus est. Inde ab Hassiæ Landtgravio ad Regem: à quo summis benevolentiæ signis acceptus, reviviscere videbatur ut terram suam vidit.

Fredericus Palatinus redit in Palatinatum Mense Dec.

Et hoc adjecit fortuna ut securè videret. Siquidem ad Franciæ Regis intercessionem factum cum Bavaro armistitium, de quo varij varia dixere, nihil ego: sed calamo ad sævientem in Westphalia Papenhemium proficiscor, & cum eo Lemgoviam, Hervordiam, Bilefeldam. Quæ oppida cum occupare posset litro gravare maluit: ita singula triginta florenorum millia dedere: non enim præsidio, sed pecuniæ studebatur,

Armistitium inter Svecum & Bavarum.

ut

ut animum adderet stipendio militi.

Mox in Hassum conversus, varios ejus delectus dissipavit. Paderbornam cum territorio ejus sibi subjecit. Et jam Landtgravius solus resistendo non erat: Veniebat ergo in auxilium Banerius quatuor legionibus nucleo Svecici exercitus. Has, obruit, cecidit, etiam Hassico inspectante exercitu: tam divite præda potitus, ut de illa exercitui duorum mensium stipendium solveretur.

Papenhemius Paderbornam expugnat. Banero cum eo dit.

A Banerio Georgium Lunæburgicum aggressus, tum ferociter resistentem oppressit; ut non nisi una equitum legione fugerit.

Et Lunæburgicum.

Inde Stadam profectus (quam Svecicus Generalis Todius urgebat) ab obsidione Svecos excussit, & duobus millibus trucidatis Buxtehudam pepulit: & munitiones demolitus, præsidium copijs adjunxit.

Et Todium.

A Germanico Oceano in Westphaliam regressus, talem quotidianis victorijs se gessit, qualem nec Austriaci facerent voto meliorem.

Interim Gustavus Adolphus, armistitij tempore elapso, in Ubios an Bavariam proficisceretur deliberabat: Sed Tillius nonnulla Svecorum clade Bavariam versus traxit.

Male Svecus facere visus quod Coloniam non expugnaverit.

Pessime egisse plerisq; videbatur, cum urbem tam potentem inimicam à tergo relinqueret, quæ exercitus & colligere sola & alere poterat. Unde quotidie novæ recentesq; copiæ pullulabant: quæ quas ille à fronte victorias extorqueret, totidem à tergo cladibus vindicaret. Quæ omnia in una Colonia destruere poterat & extinguere, cum una illa Westphaliam debellaret.

Nec de occasione queri poterat. Præoccupaverat urbem præsidio vacuam ingens metus, emergentia cives dissidia dividebant, & solus adventus necessarius videbatur, ut urbem jam metu Svecicam, præsidio faceret, & in illa ingentes Provincias, vastissimumq; Westphaliæ circulum debellaret.

Insuper Imperium cum Batavis jungeret, & illo ecclesiarum thesauro potiretur, quo uno, si nihil habuisset sub, jugum mittere regna potuisset. Itaq; si Coloniam occupasset, Imperium occupasse videbatur.

Sed tunc quidem illum (ut dici vulgo solet) aut Fatum nulli servituræ urbis, aut ipsius, à tutelaribus Divis, alio torta mens, & aversus à Svecis Deus in diversum abstulerunt.

Relicta itaque à tergo Agrippina Colonia Bambergam movere ma- luit. Hanc Gustavus Hornius exer- citu insederat. Tillius omnia probe expiscatus, iterum audendum ali- quid judicabat. Et fortuna sequeba- tur audaciam, unoq; impetu castris & urbe potitus, quatuor millia con- fecit, viginti tormenta bellica, cum quibusdam militarib⁹ signis abduxit.

Tillius Svecos cadit. Anno 1632 8 Mart.

Sed hæc fortunatis Gustavi Adol- phi progressibus comparata tam mi- nuta erant, ut quasi de industria hoc agere fortuna videretur, ut prospera ejus adversis radiarentur. Qui tamen hæc ipsa non contemnebat: sed in parva scintilla magnum exstincturus incendium, Bambergam movit & re- cedentem Tillium ad superiorem Palatinatum & Bavariam agebat. Donawerdam Rudolphus Maximi- lianus Saxoniæ Dux ne quicquam de- fendere tentavit. Et in hanc violen- tus irrupit, & omnes Cæsarianorum sanguine vias conspersit: iterumq; ad persequendum Tillium festinavit: qui ad Rainum inter duos fluvios Li- cum & Istrum castra cum Bavaro po- suerat, & venienti Regi aquas simul & munitiones objecerat.

Gustavus Adolphus Donawerdam expugnat.

Gustavus

Varia loca occupat. Gustavus Adolphus non oppugnandum ratus priusquam in circuitu urbes vendicasset, divisit in legiones exercitum, & sub diversis tribunis arcem & urbem Ginspurgum, Lawingam, Hogstadium, Dillingam, Gundelfingam, Windlingam, Circhbergam oppida, quasi indagine capta, uno eodemq; fere tempore suæ potestati subjecit. Insuper ab Ulma, cum qua transegerat, usq; Donawerdam, duodecim milliarium spatio, Danubium vendicavit.

Benfeldam Hornius. Alio trans Rhenum exercitu, sub Gustavo Hornio, Alsatiam expugnabat. Qui firmissimum regionis munimentum Benfeldam mora tandem fregit, & fame deditionem extorsit. Et certatim omnia cum fortuna Gustavum Adolphum respiciebant.

Ad Rainã Cæsarianos affligit. Hic, revocatis in unum legionibus, Rainum duxit: cumq; adversam omnem ripam, (quæ in peninsulam, sylva vestitam, sinuabatur) Bavarico simul & Cæsariano milite teneri videret, & plena tumultu hostico littora, cisaquas munitiones, & tres insuper aggeres, ex adverso unum, à lateribus duos, ut nihil tectum tota

penin-

peninſula videretur, excitavit; &, (quanta vis bellica!) ſeptuaginta duabus machinis, in adverſos detonuit. Viri & arbores ſimul lacerabantur, & hæ quidem, non irrito lapſu, vivos, ſemineces, mortuos unà obruebant; adeo ut Cæſariani, non terra, ſed virgultis viridibus, & qui ceciderant, ſaucij, ſani & integri, ſepelirentur. Non prius tamen Cæſariani ceſſerunt quam lethaliter in femore Tillius, in capite Altringerus ſtrictim vulneraretur. Tum Maximilianus Elector adulta nocte, ſummo cum ſilentio, caſtra deſeruit, & toto cum exercitu, Neoburgum prius, inde Ingolſtadium ſe recepit.

Tillius & Altringero vulnerantur.

Bavarus Ingolſtadium recedit.

Guſtavus Adolphus interim Licum fluvium ponte ſubiugârat, traductoq; crepuſculo matutino, exercitu, fugiſſe Cæſarianos comperit. Ut ergo in eorum caſtra conceſſit, & ſitum loci conſideravit. *Ego*, inqut, *ſi Bavarus eſſem, opportunitatem hanc non deſeruiſſem, & januam hoſtibus meis in hæreditarias terras aperuiſſem, etiamſi & barba mihi & mentum, tormenti globo rapta fuiſſent.* Rainum deinde oppidulum, ſtatim, ad adventum Regis, jugum admiſit.

Guſtavus Licum ſuperat. 15 Apr.

Cæterum

Cæterum Johannes Tzerclasius Comes Tilius, felicissimus tredecim annorum bellator, post partas nobilissimas de Bohemia, Palatinatu, Dania, Saxonia, virtute victorias; pariter tandem debitum flagitante fortuna, triumphatas sæpius à se terras iterum fuga emensus, bis cæsus, bis castris exutus, jam vulnere accepto, summis cruciatus doloribus, Ingolstadij postremam misere diem clausit.

Tillius moritur

Summus militiæ Dux, summæ pietatis & continentiæ miles, quippe qui, instar Africani Scipionis, virgines puellasque captivas, præcipuæ pulchritudinis, hostibus restituerit, ne in conspectum quidem passus adduci: ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem vel oculis videretur. Qui horas quotidie ut sacerdos legerit; & præcipuas Provincias virtute prius quam armis profligarit. Ille inquam ad extremum factus novercantis fortunæ ludibrium, volubilitatis ejus exemplum posteritati casu suo consignavit.

Eius virtutes

Attamen ne sic quidem infelix: siquidem tam crudelis fortunæ sævitiæ par, nec doloribus nec cladibus fractus est, nec ullo casu deformata ma-

jestas:

jestas: imo his omnibus admirabili-
or, cum patiens & infractus sibi Deo-
que constans fidelisque steterit. Et
quid aliud quam, quia Sveci non ces-
serant, de fortuna triumphavit? Ve-
rumenim vero spirantibus jam altius
Svecis, varijs incursionibus insulta-
bant. Nec quicquam amplius in Ba- *Augustam cives Svecico tradunt.*
varia intactum armis erat: nec enim
victorioso exercitui aut resistere
quicquam audebat, aut volebat. Neo-
burgum primo obujam, statim victo-
riam sequebatur. Augustam vindeli-
corum læti etiam cives ultro trade-
bant, & in verba Regis tanquam legi-
timi Domini juravere.

Hoc damnum Bavarus alia æquali
nominis urbe compensavit. Ratispo-
na pauculas cohortes ad instantiam
Ducis sinu receperat. Cum ille vicino
Gustavo Adolpho de fide civium, Au-
gustæ exemplo doctus, non immeri-
to dubitaret, totam sui juris facere
stratagemate censuit.

Ad templum civibus digressis, *Ratisponam Bavarus intercipit 28. Apr.*
una cohortium quasi ad exercitium
foras gradiebatur, sed ut in porta
fuit, substitit, & vigiles omnes cœ-
pit. Tum dato signo novem equi-
tum, ad hoc foris excubantes, turmæ,
perni-

pernicibus equis in portam & in urbem delatæ, præcipuas regiones urbis equitavere: nec ante arma posuere, quam cives disarmassent. Tunc inermibus graves, omnem insolentia victoriam corruperunt.

Ipse Maximilianus Bavarus, ut, quod speraverat, intellexit, toto exercitu Ingolstadio Ratisponam terra fluvioq; venit, & quod ad muniendam urbem opus videbatur non intermisit.

Gustavus Adolphus hunc adeo graviter casum tulit, quasi amisisset urbem quam nondum ceperat: Et fremens Augusta Ingolstadium movens, volebat expugnatione hujus Ratisponensium cladem solari.

Svecus Ingolstadiũ frustra obsidet.

Sed hic paulum circumacta fortuna est, & cum nulla in Imperio urbium restitisset; prima restitit. Juniorem Marchionem Badensem Durlacensem uno tormenti globo quasi fulmine stravit, altero Regis equum confecit, ipsumq; in terram dejectum humiliavit.

Non sapiebant illi boli, & pavor Regis pro victoria fuit. Recessit itaque, & hanc in omne ævum Ingolstadio gloriam reliquit, quod Imperium

rium prima docuerit, Gustavo Adolpho posse resisti.

Quasi vero tempus illud magnarum urbium expugnationibus currerent, ita Augustam Ratispona, Ratisponam Praga sequebatur. Hanc elector Saxo tribus legionibus occupabat. Albertus Wallenstenius, jam quinquaginta millium collecto exercitu, in Bohemiam è Moravia sua movit. Antequam tamen quicquam tentaret, plenipotentiam suam Electori aperuit; ut si pacem bello præferret, æquis legibus potius quam armis disceptarent. Nec abhorrebat Saxo: sed tractatum omnem male nata diffidentia rupit.

Movit itaq; Fridtlandus Pragam, & laxam urbem, compulsis in unam arcem hostibus, una die assultibus expugnavit. Mox legiones in arce victoris arbitrio se permisere, qui ablatis armis & militaribus signis male multatos dimisit. — *Wallestenius Pragã expugnat. 4 Maij.*

Inde in hostilem exercitum movit, quem stratagemate quodam cingere satagebat. Et factum erat, nisi Arnhemius, olim sub se, nunc sub Saxone Campi Marescallus, agglomeratis passibus nocte dieq; in Lusati- — *Saxones fugere coegit.*

am

am fugisset. Sic Bohemia iterum erat, ut ante, Imperatoris.

Interim Bavaria patiebatur. Rex quippe acceptam apud Ingolstadium ignominiam ulturus, Monachium, splendidum magis quam firmum, Maximiliani Bavari sedem, gravem armis Thesauroque Ducis, eadem quoque qua venit die, sed ultronea deditione intravit. Et mirabatur magnifica illa Palatia, qualia nec in Svecia sua, credo nec in vita vidisset.

Svecus Monachium intrat. 14. Maij.

Sed hanc ejus felicitatem, alia longè majore fortuna cumulavit. Majores multas & ingentes rei tormentariæ machinas Maximilianus terra abdiderat. Has infidi suo Duci agricolæ Regi demonstrarunt, qui munificentia quadam delinitos aut verius (ut ita dixerim) intoxicatos ad fodiendum animavit. Sic centum quadraginta machinæ terra erutæ: & inter has laxæ capacitatis basilisci plures, & famosæ (sic vocabantur) sues: Quarum una triginta millium ducatorum evomuit.

Magno bellico apparatu potitur.

Magnum herculè damnum, & eo gravius, quod pretiosissima illa belli utensilia Austriacis decederent; Protestantibus & confœderatis adderentur.

Insu-

Insuper astutus Rex, quatenus servare urbem non poterat exhaurire voluit, ut ligulas sibi de alieno corio faceret, quibus exercitum copiasq; vinciret. Itaq; suam redimere urbem cives debuere, & trecentis imperialium millibus suas ipsorum fortunas stipulari. *Et multa pecunia.*

Sapiebant illa Gustavo Adolpho Peruana ova, & ut inde meliuscule habere se sensit, viresq; confirmari, sæpius remedio uti non destitit, & Frizingensi Episcopatui ducenta imperialium millia, Landtshuto centum extorsit.

Hæc adeo Svecum recrearunt; ut armilustrijs ante urbem, aciebus instructis, ludicris prælijs insolesceret: & regressus in aulam, *lætamini in Domino.* canticum, ipse cum suæ religionis Ducibus vulgoq; cecinerit.

Inde Catholicorum templa non dedignatus ceremonias mirabatur, & per urbem ambulans, ut opinionem de se munificentiæ faceret, nummulos in vulgus spargi curavit, quem centenis imperialium millibus exhauserat. Bavariam tandem deseruit, nec alibi præsidium quam

Donawerdæ, Rainæ, & Augustæ Vindelicorum reliquit.

Trevirensis Elector Francis accedit. 5. Iun. Trevirensis Elector pronam hanc Sveci Regis felicitatem suspiciens, cum eandem, quam Moguntinensis subiverat, fortunam vereretur, Svecico se bello subducere maluit, & tanquam Archicancellarius Galliæ, Galliarum Regi accedere: nec vulgari quodam modo, sed tota, quantum poterat, Christianissimo Ludovico consignata Provincia. Ita Ernberti petra, inexpugnabile castrum, totius Germaniæ sensu, Francicum jugum accepit.

Svecia Regis ambitio notabilis. Ferebatur Gustavus Adolphus non parum, ob hoc ipsum, Christianissimo Regi indignatus fuisse, ut qui jam Germaniam velut suam assereret, & in Imperio tam potentem & vicinum socium non pateretur. Nec hoc revera ab ambitione ejus (quam Principes pro virtute habent) alienum est. Livoniam juvenis sub jugum miserat: Borussiæ partem sui juris fecerat: Germaniam inter titulos numerabat: minabatur Italiæ: & Galliam non excluserat. Poloniam vero, hoc ipso tempore, superstite adhuc inclyto Sigismundo Rege, &

stipata adolescentibus Regijs (quorū singuli, Regna singula merebantur) Domo, per Russelium suum, in publicis Regni comitijs, publice sollicitabat. Sed, spe sua frustratus, instrumenta ambitionis litteræ, à Luca Opalinio Marscalco Regni, frustra dissuadentibus nonnullis alijs, insigni in Regiam Familiam zelo, in foro Warsaviensi, publicè, comburi jussæ, absurdum redolente fumo, Gustavianæ integritatis auram nonnihil infecerunt.

Fridtlandus in Svecum movet.

Fridtlandus interim, ut lascivientis Gustavi Adolphi insolentiam semel castigaret, jungi Bavarico Duci gestiebat, ut paribus votis ac viribus urgeretur. Itaq; Egram movit, & locum illum Saxonum præsidio purgavit.

Bavarus se illi conjungit.

Nec Maximilianus cunctatus, venienti in subsidium Generalissimo ad Neumarchiam occurit, & concordes Norinbergam properabant.

Gustavus Adolphus de Germaniæ oculo, quo ipse jam videre cœperat, non vane sollicitus, eodem movit, & nunquam se deserturum urbem verbo se Regis obligavit.

Cum autem tantæ hostium multi-

 tudini,

Svecus ad Norinbergam se munit. tudini, quem secum habebat exercitu, par sibi non videretur, Sub ipsis urbis mœnijs castra munivit, missisque diversis ad diversa nuntijs, dispersas per Imperium legiones in castra citavit. Insuper præsidijs urbes minus oportunas exonerari jussit, ut hosti, cui virtute non cederet, numero quoq; parem se faceret.

Interim cum Bavaro Fridtlandus appropinquat, & obvium tribus legionibus Tupadellium, copijs suis circumdatum, internecione delevit, ipsum tribunum cepit. Mox cum exercitu Regem & Norinbergam septuaginta militum millibus, conjunctis ad medium milliare castris, cinxit Interim respirabat Bavaria & quasi ab inferis emergebat.

Fridtlandus cum Bavaro illum obsident.

Nec minus Imperium & Imperatorem Generosissimus Comes Papenhemius recreabat: qui totius fere Westphaliæ & Hassiæ potens, nunc Svecicum Generalem Baudisium, nunc Hassiæ Landtgravium lacessebat, superior singulis, omnibus unà par. Quibus stratagematibus adeo erat infestus, ut, alienatis fere sensibus, quid agerent, quando quomodoq; pugnarent, ubi cauerent, planè nescirent.

Papenhem us Hassũ, Lunaburgicum, & Bauaisium affligit.

Potis-

Potissimum vero celeritate molestus, ut quum abesse longe putaretur in castris haberent, & quotidie aliæ aliæq; legiones obruerentur. Hassicum peditatum uno ad Duderstadium, ad Volckmersiam altero prælio dissipavit, totaq; Provincia præsidia Svecorum dispulit.

Inde illum & Landtgravium eodem tempore diversus ab invicem casus disjunxit. Trajectum ad Mosam Batavi obsidebant. Henricus Montensis Comes ab Hispanis defecerat. Ibericum exercitum inutilem diffidentia faciebat. Itaque Isabella Clara Eugenia Belgarum Princeps tunc maximè celebrem victorijs Papenhemium, ad tantæ urbis obsidionem solvendam promissis invitait.

Ad solvendā Trajecti obsidionem invitatur.

Papenhemius ut adolescenti de se famæ alimentum daret, ad Rhenum movit, cum in itinere Tremoniam expugnasset. Et transmisso flumine, à serenissimo Wolfgango Neoburgico Duce, per Juliam, Trajectum deducebatur.

Sed eas Batavorum munitiones vidit, quas expugnare difficile judicaret. Tentandum tamen aliquid ratus impetum fecit, actisq; retro

Papenhemius frustra Trajecti obsidionem solvere nititur. 17. Aug.

Batavis vallum superavit. Et sine dubio actum cum Hollandis fuisset, si vel à tergo Hispani assultum simulassent. Sed illi (nefas) chartis aleisq; ignavi, ferociam Papenhemij ludebant. Tunc totus Batavorum exercitus, tormentis, equis, viris, & quicquid necessitas suggerebat, restitit.

Papenhemius ut nihil proficere se videt, post quinq; horarum pugnam indignabundus receptui cecinit. Hoc unum ei in malis indulgente fortuna, quod sua etiam clade hostibus opinionem de se virtutis extorserit; ultro confitentibus, neutiquam virtute se pares futuros fuisse, si in campo non vallo fuisset dimicatum.

Hassus cum aliis Svecus ad Regem proficiscitur.

Landtgravius Hassiæ vero in auxilium Sveco Regi Norinbergam proficiscebatur: ut & Herbipoli moventes Axelius Oxensternius, Gustavus Hornius, Bernardus Saxo Vinariensis, & alij, junctis copijs, illac festinabant, & feliciter omnes in castra pervenere.

Adeoq; Gustavus Adolphus septuaginta quinq; millium exercitu fretus, Fridlandica ultro castra oppugnare non dubitavit. Sed hæc in montium jugis bene munita erant.

Nec

Nec Bavaro Fridtlandoq; mens erat, cominus in campum descendere: sed hostem interclusum undiq;, inopia commeatuum debellare, utq; paulatim ardentissimi Regis consenesceret impetus.

Itaq; diversa erant Ducum consilia, cum Gustavus Adolphus, antequam quod illi optabant eveniret, non debilitatis adhuc viribus pugnare mallet. Cumq; Cæsarianorum nemo se moveret, *Prælium ad Altenbergam 7. Septē.* temerario ausu in superioribus jugis & munitionibus suis tectum undiq; hostem, ad Altenbergam invadit.

Tum Bavarus & Fridtlandus ingentibus machinis in subjectos suo more detonuerunt, & Cæsarianorum numerosa vis, quodam impetu rapta, medias rupit legiones, & in Svecos quasi cœlo missa descendit.

Gustavus Adolphus confusionem metuens, nudo brachio, nudo ense aciem restituit, legiones conjunxit, & alia quadam majore vi, Cæsarianos in sua castra rejiciens, Cronenbergicam fere totam legionem delevit, ipso Cronenbergio Tribuno lethaliter vulnerato. Ipsi Regi soleæ calceorum globo raptæ sunt: Fridtlando &

do & Bernardo Vinarienſi Ducibus, equi, quibus inſidebant, occiſi.

Duravit decem continuas horas, ineffabili & inaudito quodam conatu prælium, cum Cæſariani munitionibus, Sveci campo moveri non poſſent.

Tandem cum nec clades, nec occiſio invicem ferocientes ſepararet, nox, tenebræ, rerumq; natura diremit: nec ante occidere deſierunt, quam, quos occiderent videre, non poſſent.

Cæſorũ numerus à parte Svecorum. Svecorum ad ſeptem millia cecidere: inter eos Comes Goltzius, Tribuni, Curtius, Portius: Vice Tribunus, Mockingius, & Boëtzius vigiliarum magiſter. Inter vulneratos Johannes Banerius Generalis, Comes Erlacenſis, præter mille ducentos gregarios. Inter captivos, tormentorum Generalis Thorſtenſonius. Tribuni Erichardius & Carpius, cum duobus alijs vice-tribunis.

A parte Cæſarianorum. Nec incruenta Cæſarianis victoria fuit. Vltra mille cecidere: inter illos Tribuni Jacobus Fuggerus, & Ferrandus de Caraffa.

Guſtavus A. Guſtavus Adolphus poſtquam in caſtra ſe ſua recepeſſet, ordinatis Norinbergæ

rinbergæ rebus, tandem, non qua dolphus
volebat, sed, qua patebat, via, Neo- Norimbergam
stadium movit: tum vel maximè, in deserit.
itinere, extenuatas, ad Altenber- 18. Sep.
gam, ultimo concursu, legiones ad-
vertens. Adeoq; & ad Tribunos, &
potissimum Joachimum Mitzlavium
(cujus legio maxima sui parte perie-
rat) ubi ipsorum copiæ essent, inter-
rogavit: cui Mitzlavius, suo, & reli-
quorum nomine, ad Altenbergam
sepultas, respondit: sed in Franconi-
am, Helvetiam, Saxoniam, Marchi-
am, & alia loca, pro supplemento
misisse. Quur non & in Westphali-
am, inquit Rex, cui Mitzlavius, ob
Papenhemium, respondit, qui obru-
eret. Hinc Gustavus Adolphus ad
ComitemSolmensem conversus, quis
non ubiquitarios, & Christum ubiq;
probet, ait, cum Papenhemius ubiq;
sit. Nunc Trajecti esse putabam, &
in Westphalia est: cum ibi versari
putavero, forte in castris habebo.
Tum Tribunos omnes ad supplen-
das, quam citissime, legiones, ani-
mavit.

Bavarus & Wallenstenius, post Bavarus & Wal.
discessum Regis, aliquot adhuc die-
bus, in stationibus suis perseverave-
re;

Wallenstenius moveut. re: tum ut saucij commodius curarentur: tum etiam ut Noribergenses interea ad deditionem sollicitarent. Sed, cum frustra in hoc postremo laboraretur, tandem & ipsi, præmisso in Saxoniam Matthia Gallassio, Forchemium moverunt. Inde ab invicem divulsi, Maximilianus Elector in Bavariam suam, Wallenstenius Saxoniam versus, abiere.

Gustavus Adolphus similiter victor. Et hic est famosæ istius obsidionis, ad Noribergam, finis, majore aliquanto Fridtlandi, quam Sueciæ Regis, gloria. Cum hujus fama, & ipsa obsidione, & oppugnatione castrorum irrita, & priori à Noriberga discessu, nonnihil lancinaretur, & illius virtus, qua fortissimum Regem, in medio victoriarum cursu, non tantum à progressibus cohibuerat, sed etiam cum exercitu integro obsederat, summè celebraretur. Auxit hanc, in castris Regijs, fames, morbi, mortalitas, &, noxio concursu, clades; quibus omnibus, brevi temporis spatio, ad Noribergam, supra triginta millia periere. Adeoq; Rex, post discessum Wallenstenij (cum quo nunquam feliciter conflixit, nisi cum periret) paucis equitum turmis stipatus,

ftiepatus, in ipsius castra concessit, ut locum illum, seu scopulum, ad quem illisa suæ fortitudinis fama, cum nonnullo suo damno resilierat, præsens intueretur.

Tum unum Bavarum secutus, cum assequi non posset, Rainum oppidulum (quod Mutzifalius Tribunus, post levem aliquot dierum oppugnationem, Cæsarianis tradiderat, & ob id etiam capite plexus erat) iterato sibi subjecit, jam secundam obsidionem Ingolstadiensem meditans, nisi Elector Saxo, in periculo constitutus, eum à proposito suo, in Misniam, multis precibus revocasset.

Rainũ recuperat.

Jam enim & Holckius & Gallasius bini Imperatoris belli Duces, Saxoniam ingressi, Provinciam subjugabant. Coburgum, Plawam, Altenburgum, Zwickaviam, Friburgum, qua vi, qua deditione, acceperant. Elector Saxo, pro Zippis Ducum Friburgi conservandis, octoginta millia imperialium dederat. Inde in Misniam couverso agmine, Lipsiam & Merseburgum occupabant.

Holkius & Gallasius Saxoniam subjugant.

Alia parte Papenhemius Comes à Trajecto in Westphaliam redux, cum Baudisium & Landtgravium va-

Papenhemius Hassum affligit.

rijs prælijs fregiſſet, millia diſſipaſſet & cepiſſet, tormentis militaribusq; ſignis exuiſſet, Guelphonis arcem, ad quam Georgius Lunæburgicus tunc hærebat, obſidione levare conſtituit. Eo Gronsfeldium Comitem cum viginti equitum turmis præmiſit, qui properatis itineribus, nocturna quadam irruptione, antequam venire nuntiaretur, præſidiarijs ſe conjungeret, & cum obſeſſis ſubito in obſeſſores irrueret: fore enim ut inopinato malo perculſi diſſiparentur. Ut enim maris ſubita tempeſtas terret navigantes vehementius; ita hoſtium repentinus adventus magis aliquanto conturbat quam exſpectatus.

VVolferbytum obſidione levat. Itaque ut erat imperatum factum eſt, ut judicatum erat evenit. Univerſas Lunæburgici legiones concidit, vix Georgio ſuos intra Bruſvicenſium machinarum jactus recepṫante.

Hildeſium & Mulhuſium occupat. Papenhemius ſtratagemate ſuo ferox, magnis jam urbibus imminens, Hildeſium expugnavit, quod ſe ipſum fortunasq; ſuas ducentis imperialium millibus redemit.

Et jam Erfurdiam properabat Generaliſſi-

neralissimo Wallenstenio se conjun- *Gustavus Adolphus in Saxoniam venit.*
cturus, quod ut sensit Gustavus A-
dolphus, & ille è Franconia sua in Sa-
xoniam festinabat, Electori opem la-
turus, & summè, ne Fridtlando Pa-
penhemius jungeretur, invigilatu-
rus, cum nullum æque ac hunc su-
spiceret. Quem, cum Doctores alios,
alios furiosos dixisset, militem no-
minare solebat.

Et profecto nullius hoc tempore
magis, quam unius Papenhemij vir-
tus efferebatur. Cujus fama non Ger-
maniam modo & Viennam: sed Pa-
risios etiam, Madritum, Romam,
Cracoviam, & , Balthicum ultra si-
num, Stockolmiam impleverat.

Et nescio quo spiritu erat hoc tem-
pore in animis omnium & in ore, u-
num qui Gustavum Adolphum con-
ficeret Papenhemium fore: quod &
ipsum dicitur animus Regis præsa-
gisse, qui aliquando diceret, nullum
æque se æstimare, quam cicatricibus
(quæ facile centum in corpore nu-
merabat) deformatum.

Quamus itaq; Rex, ne ille genera- *Papenhemius Fridtlando*
lissimo se conjungeret, summe cave-
ret, Papenhemius tamen cautelam
ejus stratagemate lusit, & ad Weisen-
feldiam

Se conjungit. feldiam Wallenstenio, Gallasio, Merodio, & Holckio se conjunxit. Super omnes autem eminebat, cum à Fridtlando super omnes elevaretur, & ab omnibus super ipsum æstimaretur.

Rex Gustavus Adolphus, ne subito obrueretur, ad Naumburgum castra communivit. At Generalissimus, nescio qua mente, Weisenfeldia Lutzam cum alijs belli Ducibus movit, & Papenhemium Hallas ut expugnaret misit.

Quod ut Svecus intellexit, antequam, quem maxime abesse volebat, reverteretur, belli aleam subire constituit: motisq; celeriter castris Lutzam profectus, in eadem illa fere, quæ fatalis Tillio arena fuerat, subito nonnullæ copiæ concurrere. Sed quasi natura rerum resisteret, & ab humano sanguine cœlites abhorrerent, tanta ad singulos illorum motus diffusa nebula exercitus obscuravit; ut à superiori potius potestate, quam ordinario quodam modo, separari ab invicem viderentur.

Svecus vexill. potitur. Uno tamen militari vexillo Gustavus Adolphus potitus est: quod, quia solum erat, & cum aquila fortunam

tunam repræsentabat, ut bonum omen acceptum est: nec aliter ejus exercitus, quam si Imperium cum felicitate cœpisset, lætabatur.

Rex cum nebulam nox excepisset totam cum exercitu armatus sub dio egit, & cum bene animatus miles, quasi victor triumpharet, ille, non ex more, mœstior visus est: sive respectu fragilitatis humanæ, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem, vel eadem in eodem fere campo timens, postquam idem esse cœperat quod Tillius. Sed hic imminentis lethi timor erat, cum illius in corpore Genius dissolvendum brevi compositum, ut corpora instante morbo, ante vibraret. *Mœstior est solito.*

Wallenstenius interim, ut erat sagat & prudens, subodoratus Regis consilium, qui propter absentiam Papenhemij pugnare festinabat, nec ipse nisi ad præsentiam ejus dimicare volebat.

Itaque ad Luzam paruum oppidulum, quod ad posteros & famam magnitudine cladis emersit, castra communivit, & celerem ad Papenhemium cursorem, ut ad prælium festinaret, misit. Non aliter hic cum le- *Wallenstenius castra ad Luzam munit.*

gionibus

gionibus vocem excepit, quam si ad festum vocaretur.

Et jam illuxerat, partibus clades, Ducibus casum, nullis lætitiam paritura dies: cum Rex, hoste, non comparente, toto quærens campo, jam munitionibus tectum invenit.

Suecus suos ad pugnã hortatur. Tum de more adhortatus suos, binæ potissimum voces obequitantis excipiebantur, altera (exemplo Tillij) cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax. *Miles destinato scopo certoq; ictu jaculeris*, altera ambitiosa, *confido vestræ virtuti commilitones, pugnate fortiter, triumhorarum labore Monarcham me Mundi facietis.* Et præcedens aciem, in munitiones primus assilijt.

Sequebantur suum Regem Sveci, Gothi, Finnones & Lappones: suum Ducem Germani, Cimbri, Britanni. Et uno impetu fossis valloq; superatis, septem grandes machinas cum militaribus quibusdam signis Fridtlando extorsere.

Interim quædam Croatarum turmæ, per transversam aciem actæ, impedimenta Svecorum invaserunt, quibus dum equitatus subsidio venire vult, orta confusio non parum

Sve-

Svecicam aciem turbavit. Et grande periculum erat, nisi illas turbas subito exortæ nebulæ opportune texissent. Tum Gustavus Adolphus obequitare aciem, precari, monere, minari. Et hoc diligentia sua effecit, ut Croatis in fugam versis, sibi acies restitueretur.

Discussa nebula quasi non esset unquam dimicatum, sic arma rursus & pugna, quantoq; prior concursus supra præcedentis diei fuerat tanto tertius priorem superabat. Sed felicior multo Cæsarianis cum Svecicæ legiones gradum retro darent, & tormenta recuperarentur. *Prælium ad Luzam. 15. & 16. Nov.*

Itaq; Gustavus Adolphus, ablegato equo, primam in aciem procurrit, & rapta de manu Chiliarchæ cujusdam fugientis bipenne, suos in aciem reducens, manu prælium restituit: suæq; potissimum nationis milites adhortatus ea fortitudine pugnavit, ut tribus legionibus internecione deletis, cum acie sua in fugam Fridtlandus nutaret.

Et dubio procul factum erat, nisi Papenhemius, jam Hallis expugnatis, subuenisset, & alia quadam violentia cladem reposuisset. Hoc illa in acie

hujus

hujus memorabile Ducis, quod captivos nactus, quo cornu Gustavus Adolphus dimicaret, interrogarit, eo comperto tanta ferocia invectus fuerit, ut uno cedere impetu victores compelleret.

Hic quid posteritati consignem nescio, cum alij dixerint Gustavum Adolphum & Papenhemium singulari certamine seorsim dimicasse, & invicem expertos, inflicto vulnere, Papenhemium prævaluisse, adeoq; Regem ipsum confecisse: alij nusquam comin⁹ venisse Duces, quamvis venire uterq; anhelasset. Illud certum est, uno cornu dimicasse, & eodem prope tempore vulneratos, eodem cecidisse. Papenhemius tamen Regi paululum supervixit, & lætus obijt ubi mortuum esse Gustavum Adolphum intellexit.

Gustavus Adolphus & Papenhemius cadunt.

Ut autem quam maxime mortiferi morsus esse solent morientium bestiarum; sic alter alteri, cum uterque etiam vulneratus esset, plus negotij quam sanus fecit, & tanta crudelitate pugnatum est, ut acies cum nihil facerent quam occiderent, excrescens ad umbilicum viri de cadaveribus agger invicem, non pavor aut metus, separaret.

Post.

Postquam autem Rex & Papenhemius cecidissent, quasi Duces suos exercitus vindicarent, furere invicem cœpere, & fugere nescij mœnium instar ad noctem immobiles stetere. Tunc post novem horarum prælium, pugnando lassos tenebræ diviserunt.

Quatuordecim millia hinc & illinc cecidere, occisorum fere numerum æquante fortuna. Inter illos è Cæsarianis Reverendissimus Abbas Fuldensis, Gothefridus Henricus Comes Papenhemius, Bertholdus Comes Wallenstenius, Westronius, Witzlebius, Breunerus, Tribuni. *Cæsarum numerus.*

E Svecis ipse Rex Gustavus Adolphus, Islerius, Gorsdorffius, alijque plures tribuni. Vulnerati ab utraque parte omnes fere belli Duces & Chiliarchæ. Militaria signa facile sexaginta Cæsariani, pauca Sveci rapuere: omnibus tamen bellicis Cæsarianorum machinis potiti, & hoc uno feliciores, quod illis ea nocte in armis agentibus, Wallenstenius exustis castris Lipsiam primus, inde Pragam proficisceretur. Quem sequi tamen illi ausi non fuere sed Weisenfeldiam quoque retrocedentes, extenuatas prælio legiones supplebant. Et

Et hæc est illa cruenta, Regio mi-bilique sanguine famosa clades, q fortissimorum qui pugnavere Duci exitio parentatum est: cum ille Gustavus Adolphus, Hic Papenhemius celebratissima sui ævi nomina, sacri Bellonæ pectora Martisq́; pulli: ill in Polonia Germaniaque victor, hi Protestantium, Svecorum, ipsiusque Regis simul occobuerunt. Plane quasi ad judicem, alter alterum post mortem sequeretur: qui fortes æque, armisque pares, cognita utriusque causa, irrefragabili sententia separaret, nimiumque fortasse divideret.

Sed Superis nos illa legamus, & à cœlo ad fragilitatis humanæ conditionem calamum vertimus, cujus uterque non modicum documentum factus, in ætatis, felicitatis, & spei suæ flore demessus est. Papenhemius quippe Imperatoris vindictam, Imperij libertatem, si vicisset: Gustavus Adolphus orbis, eodem prælio, Monarchiam sperabat.

Sed dolosus hic felicitatis genius est, quamvis magnæ pariter indolis signum, sperare semper. Cumque magis in altum elevare, & imponere ipsi quodammodo gloriæ vertici fal-

so for-

ſo fortuna ſimulat, momento devolvit, & quos ad tantas cogitationes, conditionis ſuæ oblitos, promovit, immaturos, ut diceremus, morte præcipitat. Adeoque periculoſiſſima felicitatis intemperantia eſt, quæ movens cerebrum, & in vanas mentes imagines evocans, multum inter falſum ac verum mediæ caliginis fundit, & ſua tandem mancipia, infinitis immodicisque ſpe repleta bonis, ut guloſos cruditate rumpit.

Cæterum per Germaniam univerſam, (quamvis Papenhemij quoque mors multum de integro derogarit) de occiſo tamen Rege Guſtavo Adolpho à Catholicis triumphatum eſt. Cum tanti enim exercitum facerent, quanti Imperatorem, & hac jam parte hoſtes deficerent, fractas in uno rebantur vires; cum enim qui felieiſſimus Svecorum Gothorumq; Regum fuerat, qui Svecica Gothicaque ſigna in media Germania (ubi vulgaribus pleriſque eſſe Svecos Gothoſque ignotum erat) fixerat, qui in expeditione quodammodo victor, ſaltem non victus, deceſſerat; cum inquam ille qui fortunatiſſimus fuerat non effugiſſet, ſed Germanicum Regio cruore

Catholici propter occiſum Regem triumphant.

ore

ore solum humectasset, certum videbatur Germaniam de cætero invictam fore.

Fridericus Palatinus moritur. 29. Nov. Addebat reliquæ felicitati alia non minor felicitas. Eodem fere tempore, quasi ita convenisset, Fridericus quoque Palatinus Comes Rheni, fatigatam sortis humanæ inconstantia animam Moguntiæ liquit. Qui cum fax bellorum, initium, basisque fuisset, ruitura subruto fundamento paulatim, quæ in capite, basi, & face jam exstincta erant, bella viderentur.

Sed hoc vulgo creditum, non Superis visum, qui prosperiores etiam, post horum mortes, Potestantibus permisere progressus.

Fridtlandus, cum in Bohemiam se recepisset, non in hostem, sed exercitum suum sæviens, in illos qui in prælio ad Lutzam aut fugissent, aut masculè satis non pugnassent aut impedimenta exercitus sui diripuissent, quotidie animadvertebat.

Fridtlandus nimium severus. Et justa, fateor, eorum cædes videri poterat, nisi nimia fuisset, & amittens justitia nomen in lanienam degenerasset. Parcius humanæ vitæ pretium ponderantibus agendum videbatur, & æstimandum semel amissum spiritum

spiritum nunquam rediturum: Luna quippe ubi consenuit, reiuvenescit, & semel extincta subinde renascitur: at homo nec repubescit senex, nec mortuus reviviscit.

Itaque quasi sævitiam fortuna detestaretur, omnibus simul locis in ultionem erpuit, & in debellatas prius provincias, urbes, & oppida, varios Generales immisit.

Arnhemius Silesiam invasit: Bernhardus Saxo Vinariensis Saxoniam recuperavit: cum Hasso Georgius Lunæburgicus Episcopatus in Westphalia expugnabat: Gustavus Hornius, Ryngravius, & Birckenfeldius Comes Palatinus, Sveviam inundabant: Wolffgangus Henricus Baudisius, evitato Papenhemij nuper insultu, ductis ad Rhenum legionibus, Siburgum non ignobile Ducatus Montensis oppidum, cum opiparo commeatu intercepit. Hic autem quasi quod Gustavus Adolphus neglexerat, ille supplere satageret, Ubios tentandos duxit.

Sveci variæ Imperij Provincias invadunt.

Tuitium è regione amplissimæ suæ urbis Colonienses muniverant, ut quoad fieri poterat Reipublicæ consuleretur. Antequam vero ad perfectum

fectum munitiones ascenderent, Baudisius oppugnandas ratus, media hyeme, media Sancti Thomæ nocte, nihil tale metuente Colonia (cujus amicitiam & ambiverat, & aliquatenus si servasset, obtinuerat) munitiones alibi humiles, alibi nullas tribus simul locis invadit.

Baudisio Tuitium oppugnat. Et quonim subitus venerat, (hucusque velo amicitiæ tectus) confugientibus ad Sancti Ruperti Basilicam præsidiarijs, facile municipium expugnavit.

Adeoque verissimum est nihil homine fallacius esse: quippe tempestas minatur antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: at subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur quo propius accedit.

Veruntamen nihil Baudisio profuit sua vafrities, quæ in suum authorem reciproca in illius caput post paulullum redundavit. In illa Sancti Ruperti Basilica non aliter præsidiarij dimicabant, quam si ab inhabitantibus loci tutelaribus Divis defenderentur.

Et jam, discussis tenebris, ab alio paulatim orbe desideratam Phœbus faciem ostendebat; cum Agrippinenses

es fallacibus minus minusq; oculis hostes & amicos distinguere,& attentius omnia speculari.

Ut nihil non scrutatum videbatur, tum famosissimis eorum ad Rhenum aggeribus, turribusque magnis, immensi ponderis globos immani machinarum gutture vomuerunt, navibusque fluvium transmittentes, hostiles universas municipio copias ejecerunt, & fugientium terga cædentes, centenos aliquot trucidaverunt.

Colonienses rejiciunt. 28 Dec.

Cæterum secundi hujus successus lætitiam familiaris in bello casus non parum imminuit, cum accensus militis unius funiculus, in nitratum pulverem scintillam dimisit, & magno boatu ecclesiam & octoginta miserè mortales stravit.

A puluere damna patiuntur.

Hæc Ubiorum virtus, inter tantos Protestantium progressus, prosperitatis quædam quoque scintilla erat. Altera paulo major in Bavaria fulsit: cum Johannes Altringerus Licum amnem transmittens, cæsis nonnihil submotisque hostibus, Memmingæ deditionem extorsit. Campidonam vi cepit, ibi explendo furori armati inermesq; juxta trucidati: in pium quippe præsulem rebellio puniebatur.

 Inde

Sveci ab Alteringero damnum patiuntur. An. 1633. 17. Apr. Inde Forbesium assecutus uno impetu mille ducentos confecit, undecimque tormentis potitus, ipsum Forbesium, Marchionem Sancti Andreæ, aliosq; duos tribunos Lindaviam captivos abduxit.

Tertia sub fortissimo Heroe Johanne de Werdio in Bambergensi tractu emicuit. *Johannes VVerdius qualis.* Generosus hic Tribunus gregarius olim in Belgio sub Hispaniarum Rege miles, per omnia deinde sub Cæsare belli munia ad equitum magistrum evectus, una sua equitum turma, integræ legionis instar, hostibus terrori fuit. Dignus itaque legione fuit, quam assecutus, adeo omni armorum genere, miraq; celeritate terribilis fuit, ut ad viri nomen & adventum millia trepidarent. Hic itaque sub Bavaro jam Tribunus viginti equitum signis, Bernardi Vinariensis copias aggressus, mille octingentos occidit. *Svecos cædit.* Iisque belli moribus progrediebatur, plane quasi Phœnix alter è Generosissimi Godefridi Henrici Comitis Papenhemij cineribus emersisset. Hæc ergo prospera quædam erant, sed scintillæ erant, cum incendia alibi magna videamus.

Post Papenhemij mortem Lunæburgici & Hassi animosiores, cum va-riam nuper occupassent, jam Hammeliam ipsam, Cæsarianorum in inferioris Saxoniæ circulo ad Visurgim belli sedem, obsederant, & copijs viduata Westphalia alio egebat exercitu, alio belli Duce: nec poterat illum nisi Colonia parturire.

Hamelia ab Hasso & Lunæburgico obsidetur.

Et hæc quidem per hostem irritata Baudisium, ut felix mater sine dolore & cruciatu parturiebat: præsertim cum Merodium Comitem, à Papenhemio commendatum Ducem, ad manus haberet.

Nec belli nervus pecunia quoque deficiebat, quam & periclitanti Imperio tum Hispaniarum Rex, tum Ferdinandus Elector Coloniensis, tum Herbipolensis Episcopus Franciscus Hatzfeldius liberaliter subministrabant.

Et jam conscriptus erat exercitus, cui Merodius cum summo Imperio præficiebatur. Qui Hammeliæ exequias strui audiens, periculum esse in mora duxit, & ab Ubijs Rhenoq; movens, per Montenses & Westphalos, ad Visurgim accelerabat.

Sed Merodius agebat exercitum, suis

suis ipse cum exercitu fatis agebatur. Ut enim cum Gronsfeldio Bunickhusius illi se conjunxit, livor & ambitio Duces invasit, & prius exercitum fregit, antequam cominus veniretur.

Non fugiebat Merodium, pluribus imperare volentibus, difficile sanctam servari societatem: cum tamen Hammelia (quam Schelhamerus præsidij Ephorus commeatu & re tormentaria validus, Romana quadam virtute tuebatur) jam nimium urgeretur, urbem virumq; deserere nefas videbatur.

Merodis Hamelia obsidionem solvere nititur.

Itaq; tentandum aliquid ratus, in hostes (sperans quos livor & ambitio separasset, viso hoste periculum conjuncturos) cum bono DEO, bono animo duxit.

Sed ut rupta semel cristallina, humano nullo artificio, ut ante, junguntur in unum; æque divisi ambitione & invidia animi, nec Reipublicæ damno; adeoque nec ipsa morte coalescunt in unum.

Volupe fuit Melandro Italo, hostilium copiarum ductori, audire dissidia, obviamq; profectus aditus occupavit & sylvas: ut pugnaret æq; & tegeretur exercitus. Me-

Merodius cum Tribuno Quadio non segniter rem agebat, & erat dubio procul victoria Cæsaris, si, ut illi, reliqui tribuni belliq; Duces pugnavissent. Sed hi (quod turpissimum erat) aut spectare, aut prælio sese subducere, aut fugere maluerunt.

Prælium 7. Iulij.

Merodium puduit, Quadius non desperavit: sed ut hoc prælio ad honores & titulos aditum sibi virtute pararet, tanquam Martis quidam primogenitus, præliabatur.

Sed virtuti fortuna deerat, quam & ambitiosi & cum equitatu fugientes lividi secum auferebant: Quid ergo? Merodius & Quadius, ut omnia in deterius ruere paulatim vident, & peditatus fœdè mactaretur, fremuere, cum emendare non possent. Patebat victis fuga, sed pudor furorq; suasit, ut amissum, sine culpa licet, exercitum, morte sequerentur.

Cæsariani succūbunt.

Itaq; septem millia ad satietatem cæsa sunt, omni bellico instrumento, & septuaginta militaribus signis amissis: & fortunam pone sequebatur Hammelia. Nec facile usi tam incruenta victoria hostes, cum non nisi centenorum aliquot, & Burchardi

Cæsorum numerus.

Rantzovij nobilis Holsati sanguine emeretur, & hic, tot Austriacorum millium, Merodij insuper Quadijq; cruore nataret.

Cæterum hoc accepto vulnere, Fridtlandi expiata sævitia videbatur. Itaq; ab ipso jam Fridtlando & nova & prospera.

Saxonia damnum patitur. Hic Henrico Holckio in Saxoniam iterum Misniamq; immisso, multis urbibus Lipsiaq; jam tertium expugnata, non levia Electoratui illi damna inferebat: & quicquid Bellona poterat in hostili solo recruduit.

Holkius moritur. Contagio autem major imminebat, nisi alia Henricum Holckium contagio corripuisset. Ille itaq; Saxoniæ pestis, peste correptus, Turschenreidiæ ad plures transijt.

Hic vir nuper sub Daniæ Rege hostis, Cæsarianis ad Stralesondam metuendus constituta cum suo Rege pace, corpore & affectu totus ad Cæsarem transijt, & quamvis Lutheran⁹, & pro religione dimicaretur, fideliter tamen Imperatori militavit, & constantiæ, post sua fata, laudem secum duxit.

VVallenstei- Fridtlandus, præmisso Matthia Galassio, in Silesiam movit, & cum Electore

Electore Saxone agens de legibus pacis, cum non convenisset, arma expedivit. Mira quadam velocitate Saxonicũ exercitum ad Stevaniense propugnaculum aggressus, septuaginta equitum turmas dissipavit, & per vadosa Viadri traductis copijs universum in ipso propugnaculo peditatum cinxit, & (quod mirere) totum cepit.

nius ad Stenaviense fortalitium Saxones vincit. 18. Octo.

Sic præter omnia tormenta, centum triginta tria vexilla, à victore non violenter rapta, sed (quod sine sanguine felicius) ultro ab hostibus tradità.

Turnius Comes atque Tubaltius Præfecti exercitus, cum duodecim alijs tribunis, in manus venerunt, & per Silesiam circumducti, urbes tradere jussi, quæ occupaverant loca restituerunt: &, ubi Silesia iterum Imperatoris fuit, libere abire permissi sunt.

Silesiã recuperat.

Videbatur magis uti tanta Fridlandus victoria potuisse: sed ille fruî maluit. Et quasi Cæsarem non hostem vicisset, in hæreditarijs ipsi Provincijs hyberna sumpsit, exercitum aluit: & paulatim patriæ, nominis, dignitatis, beneficiorumq; oblitus, domi-

Dominationẽ parat.

dominationem machinari, & totus in monstrum illud, ut mente ita animo quoq; & affectu degenerare.

Impulit hominem ad hoc scelus male nata ambitio, quæ non patitur quenquam in ea mensura bonorum conquiescere, quæ quondam fuit ejus impudens votum. Ille è Bohemia nobilis, rara Imperatoris gratia Comes, diversarum Regionum Dux, totius Austriacæ domus Generalissimus, cum summo fere belli pacisq; arbitrio, non unde venerat sed quo tenderet, ut ambitionis Genius est, respiciebat : majora enim cupimus quo majora venerunt.

Et tolerabilis fuisset immoderata cupiditas, si laudabili quadam ratione progressa fuisset. Sed quid ille? ut adhærens arborum ramis hædera ope aliena in altum erigitur; sic obscurus ille antea, Ferdinandi Secundi favore, ad parem sibi ferè potentiam evectus, constituit (nefas) per quem creverat, præfocare Cæsarem : cum filio Hungariæ Bohemiæq; Rege invictam Austriacam fundit? Domum evertere : distringere incendijs urbes: exercitus vendicare: fideles Cæsari Duces confodere: Bohemiæ se

Constituit Austriacam domum evertere & se Bohemiæ Regem facere.

Regem facere: totum deniq; Imperium lacerare, & quicquid nec Gustavus Adolphus videretur optasse.

Quibus id nefas socijs aggressus est? Terskium, Kinskium, Illoum, & Niewemannium, copiarum suarum Duces, & tribunos, immanissimi facinoris sui satellites habuit: exercitus hostium Duces, adjutores, cum quibus, sub specie tractandæ pacis, Imperium dividebat & regna. *Quorũ adminiculo.*

Actum erat de pulcherrimo Imperiali statu, nisi proditores suos proditor habuisset, fautoresq; Cæsar: & cum diu alias non lateant scelera, per hos corruptæ nefas ambitionis erupit. *Proditur.*

Verum enim vero diu dissimulavit Cæsar si mora perfidia minueretur. Sed nescia emendari ambitio, cum non puniretur genio suo crescebat, usq; dum nefaria sua consilia ex rebus aliquibus prodita suspicatus, Egram Fridtlandus, ut mature jungeretur Svecis, festinavit, & inchoatum nefas patraret audacius. *Egram proficiscitur.*

Leslæus, Butlerus, Gordanius, & Geraldinus, Hyberni, conjurationis conscij sed immunes, in Fridtlandi exercitu corpore, pro Cæsare animo, non

non commodo perfidi, sed Imperatoris, castra sequebantur. Itaq; cum Leslæo, Gordiano, Butlero, & Geraldino Egræ urbis & arcis custodia permitteretur, in perniciem omnis Wallenstenij verterunt, & invitatos in arce primarios, magnifice epulatos, Terskium, Kinskium, Illoum, Niewemannium trucidaverunt.

Hyberni socios illius occidunt.

Interim cum cibi & parentalia fercula conjurato sanguine maderent, Gordanius ad hospitium Fridtlandi festinans, excubitoris è manu bipennem extorquens, in conclave Fridtlandi violentus irrupit, & Wallenstenium tumultu excitatum, & in indusio deprehensum, sic allocutus est. *Tunc ille es & Imperij & Imperatoris proditor, cujus è capite coronas auferre statuis, ut scelerata iis tua tempora cingas?* Inde spatium dedit, si quid ille supremæ vocis emitteret. Sed mehercle tanquam spectro territus, & fulmine ictus obmutuit.

Sic repentina mala involuunt animum, omnemq; generosi Spiritus vigorem intercipiunt. Prorsus in malis facinoribus, si subito turbine, conatus improbi, consiliaq; dissipantur, pavor succedit. Mens sola cogitatione

tatione rea, quicquid meruit timere incipit.

Itaque attonitum nihil dicentem, aut respondere dignantem, per cu- ventrem, intestina, & ossa, bipenne transfixit. Nec alium uterus quam sclopeti sonum emisit, & cum anima ore fumum, tanquam intrinsecus cuncta arderent, vomuit. *Gardanius ipsum Fridtlandum transfigit. An. 1634. 25 Feb.*

Et hic est hujus Germanici Ruffini & Catalinæ finis. Cujus (quippe qui honorum, beneficiorum, & fidelitatis oblitus fuerat) miraculosa quædam oblivio cunctos, & ipsius adeoq; ministros subijt. Quorum nemo non solum Dominum non vindicavit & restitit, sed aut vindicare, aut resistere velle simulavit.

Omnis exercitus de novo Cæsari militiæ sacramento se obstrinxit, & conjuratorum in suo sanguine volutata cadavera, non esseda non rheda digna, fimario curru, per primarias regiones urbis tracta toti Mundo fuere ludibrio, cum heri ad eorum potentiam Imperij Principes metuissent, & exercitus excubassent. *Cadavera fimario curru trahuntur.*

Ita proditio in suos authores reciproca, evertere volentes evertit ipsa, & Imperia meditantes non exuit

solum ijs, sed pro aurea corona simarium largitur currum.

Franciscus Albertus Saxo-Lavenburgicus capitur.

Franciscum Albertum Saxo-Lauenburgicum, inter Fridtlandum & Svecos veluti quendam Mercurium, securè Egram equitantem & Viennam aulamq; Cæsaris animo jam voluentem, captum Cæsariani Viennam deduxerunt; ut cœlites audivisse votum plane viderentur.

Ingens victoria Vladislai Poloniæ Regis ad Boristhenem: 1. Martij.

Dum sic in Bohemia Domus Austriaca in securitatem asseritur, aliud, hoc tempore, in ejusdem solatium, ad Boristhenem in Oriente, Smolenscum ibi, munitissimam urbem, Magnus Moscoviæ Dux Michael Fedrowicz, inita cum Svecis armorum societate, ne Vladislaus Imperio & Imperatori assisteret, centum quadraginta, tum suorum, tum occidentalium millibus, jam mensibus aliquot obsidione clauserat. Sed invictissimus Vladislaus Rex, non totis viginti armatorum millibus, in subsidium adfuit, & tam parva manu tantam multitudinem hostium, campo, propugnaculis, & munitionibus suis ejecit, tandemq; in unam stationem abactos, & obsessores obsidens, eo desperationis adegit, ut, inaudito hactenus exemplo,

xemplo, tam numerosus excercitus,
traditis centum quinquaginta tor-
mentis bellicis, & ineffabili armorum
apparatu, ter genu flexo, & percussa
fronte (quod gentibus illis in suppli-
cationibus mos est) & positis ad pe-
des Regios vexillis, deditionem, cle-
mentiam, & salutem, peteret, & im-
petraret. Magnum mehercule hoc
pro Polonia, & Imperio etiam Ro-
mano erat, cum, properantibus jam
ad finem inducijs, in Suecos, Vladi-
slaus Rex, uti magis se toto posset.

Ratisponam interim Bernhardus *Vinari-*
Saxo Vinariensis Dux (ne proditio- *ensis*
nibus tantum agere milites bellique *Ratis-*
Duces appareat) civium, Bavarica *ponam*
præsidia nauseantium, conspiratione *occu-*
aggressus, facile interceperat. *pat.*

Hujus munitissimæ urbis ereptio
Maximilianum Bavarum non parum
turbavit: præsertim cum necessarias
ad recuperandum vires ad manus non
haberet.

Et quamvis generosissimus Johan-
nes de Werdius, varias seorsim legi-
ones carpens, dissiparet, & vicina ad
obsidionem opportuna oppida quæ-
dam metu, quædam celeritate, quæ-
dam vi expugnaret; astu etiam alia
circum-

circumscriberet, tamen ad summam totius non adeo proficiebat.

Accedebat aliud malum, quod detestabili conjuratione Fridtlandi suspectæ copiæ earumque Tribuni, explorari prius oporteret, antequam mitterentur.

Svecorũ metus in Italia. Adeo Svecorum Ducibus hæc mora profuit, ut Bernhardus Saxo-Vinariensis Dux, Gustavus Hornius, & Ryngravius, ad Rhenum, Licum amnem, Lacumq; Brigantinum, civitates non paucas subjugarent, & vetus ille in Italia Gothorum metus recrudesceret.

Itaque alio, pro Alberto Wallenstenio, Generalissimo opus erat, qui Bavariæ inhærentem extorqueret hostem. Sed cui post perditissimum, tot beneficijs ad fidelitatem quodammodo emptum, crederetur? non poterat ergo, qui Austriacis fidelis esset, nisi ex Austriaca domo Generalissimus legi, quæ principum hoc ævo fertilis, dare poterat, si audebat. Et inter eos maxime serenissimum Ferdinandum Tertium, jam Hungariæ magnum Bohemiæq; Regem, mox magnum futurum belli Ducem.

Nec ille dedignatus pro suis Regium

um periclitare ſanguinem. Cum enim Ferdi-
magnanimos nos natura produxerit, nandus
ita Regibus maxime & Principibus ſe offert
generoſum & excelſum ſpiritum de in Ge-
dit, quærentem ubi honeſtiſſime non neraliſ-
ubi tutiſſime vivat. ſimum.

Ut clementiſſimus ergo parens Fer- Fit Ge-
dinandus Secundus, ut pugnaret, in- neraliſ-
dulſit, mox pro corona Galeam, pro ſimus.
toga baltheum, pro ſceptro gladium,
pro aulicis Regum delicijs Germani-
am campumque ſumpſit; ut hoc, ad
quod paulatim præparabatur, Impe-
rium, priuſquam ſumeret, ſuum for-
titudine faceret.

Nec magnis magni Regis conatibus
fortuna defuit. Ille ſiquidem luſtrato
exercitu, diſciplina & affectu omni-
um, ſuum Regiumq; fecit. Utque ni-
hil in exercitu niſi Cæſareum adver-
tit, cum ſexaginta probatiſſimorum
militum millibus, in Bavariam duxit,
& ut Rege dignum erat, magnam mu-
nitiſſimamq; urbem Ratiſponam cum Ratiſ-
Bavaro obſidione clauſit, ducentiſ- ponam
que grandibus machinis urbis mœnia obſidet.
ſimul una die quaſſari juſſit. Quod ea 4. Iun.
vi factum eſt, ut diſrumpi cœlum &
terra, & omnia miſceri elementa vi-
derentur.

Inde

Inde ab urbe in propugnaculum, quoddam conversæ vires, quod tertio assultu, non tamen sine sanguine, jugum admisit. Mille ducenti Cæsarianorum cecidere, inter eos Deodatus & Metterningius, infortunio quodam hostes judicati. Dietrichstenius Chiliarcha globo caput transfixus inter vulneratos fuit. Inter captivos in urbem tractos Breunerus Chiliarcha, cum duobus vice tribunis.

Propugnaculum expugnat.

Cæterum GustavusHornius & Bernardus Saxo Vinariensis Dux, obsidionem solvere moliebantur. Quod ne fieret, oportunum ad hoc Kelhemiũ impedire poterat. Illac itaque parte copiarum missa duorum dierum spatio fractum, & expugnatum, suarum commodo partium Cæsariani muniverunt. Quod ut sero venientes Sveci adverterunt, sperantes antea desperatio subijt, & alia quadam via ad victoriam gradiendum judicavere.

Kelhemium ad deditionem compellit.

Itaque Arnhemius, ad Lignitzium, cæsis quibusdam Cæsarianorum copijs, quinquaginta tribus militaribus signis potitus, jam ferocior, conjunctis cum Banerio copijs, Pragam toto invadere bello constituit; ut suo motus periculo, pro servanda Bohemia

Arnhemius Cæsarianos cædit.

24. Maij.

Pragam obsidet.

sua

ſua, Hungariæ Bohemiæq; Rex, à Ra-
tiſponæ oppugnatione alio trahere-
tur.

O Prudentiſſimi Cæſaris pruden-
tiſſimum filium! dignum Orbis Impe-
rio, dignum favore omnium, & admi-
niſtratione hominum & populorum.
Compulſus ad ultimos metus, ab in-
cepto non deſtitit, & de Bohemia ſua
ſollicitus, obſidionem tamen non o-
miſit: ſed parte exercitus, ſub Mat- *Ferdi-*
thia Galaſſio, Pragam dimiſſa, ipſe al- *nandus*
tera parte Ratiſponam premens, ab- *Rex*
ſens ſimul præſensq; pugnabat, & per *Pragæ*
Altringium Johannemq; de Werdium *ſubve-*
ab exercitu ſuo ſub Vinarienſi & Hor- *nit.*
nio Svecos ſubmovebat: nonnullo ta-
men damno, cum Altringi⁹ ad Landtſ- *Altrin-*
hutum in ponte fortiter pugnans, à *gius oc-*
Svecis globo trajectus, occumberet: *ciditur.*
magno ſui deſiderio poſt ſe relicto; *22 Iul.*
cum omnes non tantum fortitudinem
viri, ſed pietatem quoque venerarem-
tur.

Quid ergo miramur ſingulari pro- *Arnhee-*
videntiæ conſilioq; Regis adfuiſſe *mius*
fortunam? cum Praga in Bohemia, *Pragæ*
ſuo confirmata ſubſidio, non ſolum *obſidio-*
reſiſteret, ſed impugnantium ſuorum *nẽ ſol-*
impetus ultro retunderet; ut cum i- *vit. 28*
Iulij.

gnominia

gnominia tandem hostis, è Bohemia in Saxoniam remigrarit, & eadem die hoste submoto, ad deditionem Ratisponam cogeret, exercitium Religionis clementer indulgens.

Ratisbona deditur

Maxima profecto res, eadem in Bohemia die Pragam servasse, in Bavaria Ratisponam peperisse, & absentem præsentemque simul, de duabus magni momẽti urbibus triumphasse.

Augebat lætitiam quod Eminentissimus serenissimusq; Princeps Cardinalis, infans Hispaniarum Ferdinandus, suo quoq; exercitu, Tridentinis jugis in Germaniam ruina provolutus, ad invictissimi Ferdinandi Hungariæ Bohemiæq; Regis amplex⁹ descenderet. Quem, nisi ultro venisset, invictissimi soceri sui fama, ut veniret, provocare potuisset.

Princeps Cardinalis Hungariæ Regi jungitur.

Hic itaque Passaviæ serenissimæ sorori suæ, Hungariæ Reginæ locutus & animo, & corpore, & exercitu, invictissimo ejus conjugi accedebat. Plane quasi victoriarum, quarum magnitudini invidere poterat, partem juris facere porro anhelaret.

Nec invidit fortuna conatui, & toto orbe celsissimum par Cæsaris & Hispaniarum Monarhæ, filiorum, æqualium

lium propemodum dignitate, virtute similium, gemino invicem sanguine colligatum, expugnata Donawerda, in Rhetiam duxit: perculosissimam omnino Palæstram, sed ubi utterque Bravium fortitudine sua pararet. *In Rhetiam movet.*

Nordlingam ergo communibus copijs obsidione cingunt, ut in reliquam sibi Germaniam ferro aditum aperirent. Et illa quidem non segniter resistebat, omnem (cum liberationem à Svecorum Ducibus speraret) aspernata contractum. *Nordlingam obsidet.*

Placuit Vinariensi & Hornio constantia propositumq; urbis, & quia tantum illis fidebat, acriterque resistebat, digna liberatione visa est.

Sed unde illæ quæ in tanta difficultate succurrerent copiæ? servitia, ergastula, rusticique armantur. Wurtenbergensis, Onoltzbacensis, & Hassus, suis copijs adfuere. Cratzius insuper, ille à Cæsare profugus, Forchemium (quod in Bambergensi ditione, inter omnia circumquaque hostilia, invictum hucusq; resistebat) deserere jussus; ut conjunctis exercitibus, Cæsaris, Hispani, & Bavari exercitus aggrederentur. *Sveci obsidionem solvere laborant.*

Non

Non poterat melius Germaniam fortuna demereri, quam ut hostiles copias omnes cædi simul offerret, quæ alias, ut cæderentur, per omnes Imperij angulos quæri debuissent.

Fiducia victoriæ utrimq; partis. At, quod mirere, tanta erat Protestantibus liberandæ urbis fiducia ut ne Cæsariani metu dilaberentur, timerent: quibus eum tamen animum, summorum præsentia Ducum faciebat, ut vinci se posse negarent.

Prælium ad Nordlingam. Itaque nullibi majoribus animis concursum est. Fossas vallumque Cæsariani tenebant, Sveci campum: & cum Austriaci hos reijcerent, cum præsidiarijs simul dimicabant. Hinc non modica difficultas; cum fossas vallumque alibi superantes Sveci gemino Cæsariani malo premerentur. Sed ut desituri venti vehementissime spirare solent ita Sveci, exitio suo proximi, acrius urgebant. Omnia enim Ferdinandorum prudentia & industria, ad dignum eorum virtute gradum reducebantur.

Stratagemata Cæsarianorũ. Ad stratagemata quoque conversi, geminum addidere virtuti dolum. Cum ventum suis haberent à partibus, propugnaculum grande, cuniculis, capacibusque speluncis à funda-

mento

mento cavum, nitrato pulvere farciunt, & paulatim deserentes, ultro Svecorum ferociæ locum faciebant. Hi ingressi, non una cohorte, vi pulveris lacerati, Vulcano aërique consecrati sunt: hinc paulatim turbari omnia, cum arena, fumus, & pulvis in oculos & ora ferretur.

Commode generosissimus Comes Melchior Hatzfeldius Generalis machinarum magister, quinquaginta amplius tormenta, minutissimis ferri plumbiq; globulis onerari jussit, & in hostem, priori adhuc casu attonitum pulvere insuper fumoq; cæcum, jaculari. Quod tantam dedit stragem, & illud causavit fumum & horrorem, ut hostes, quo se verterent, nescij, serenitatem præstolarentur, ut pugnarent. *Hatzfeldij stratagema.*

Interim, beneficio fumi, ab Austriacis cincta Svecorum acies, à tergo, à fronte, à lateribus premebatur. Et jam non pugna erat sed cædes. Equitatus hostium, ut, discusso nonnihil fumo, rem Protestantium perditam vidit, fugere conabatur. Sed ille à Serenissimo Carolo Lotharingo Duce, & Johanne de Werdio, à Croatis & Hungaris, repellebatur, cum *Svecorum acies tangitur.*

fœda

fœda clade. Peditatus internecione fere deletus est.

Tota gere deletur. Ita hostiles exercitus ad satietatem cæsi sunt; adeo ut serenissimos Ferdinandos, tanti sanguinis humani nausea subiret.

Cæsorũ captivorum & prædæ quãtitas. Duodecim Svecicorum cadaverùm millia campum texere: sex millia capta sunt. Octoginta machinæ grandes, quater mille currus, decies mille equi, in manus venerunt. Trecenta militaria signa rapta sunt, & tanta præda victoribus cessit, quantam nec avarissimus desideraret.

Dux Bernardus Saxo-Vinariensis effugit, cum Cratzio Gustavus Hornius, Rostemius, & quatuordecim legionum Tribuni, vivi in potestatem venere. Marchio Onoltzbacensis cum alijs pluribus Chiliarchis, inter occisos fuit.

Quot à Cæsarianis desiderati. Cæsarianorum non amplius mille ducenti desiderati sunt. Nec facile quispiam Ferdinandorũ hoc in prælio virtutẽ scripserit. Illi ipsimet monuere milites, non ut inania quædam verba, sed exempla sua sequerentur.

Ferdinandorũ vir- Itaque, quamvis immunes vulnerum, periculorum non fuere. Achatius chiliarcha, inter utrumq; Ferdinandum

nandum medius, tormenti globo oc-cisus est: vix duobus ab ijs passibus Dux Aldobrandinus, junior Picolominius, Pillerus, & San-Martinius cecidere. *tus & periculum.*

Adeoque magnam hanc, magni Principes, suo periculo, victoriam peperere: quam magnam fore, non sine præsagio, dies aperuit, quæ Sancti Magni festo currebat. *Dies prælij. 6 Sept.*

Et oportebat profecto, ut summorum Monarcharum mundi proles, non nisi magnas victorias adipiscerentur. Hoc Cæsariani militis animus, hoc fortuna, hoc aura ventoq; favorabilis rerum natura censisse videbatur.

Nordlinga non ultra cladem suorum pertinax, arbitrio sese victorum permisit. Cæterum parum jam illa erat. Omnia ad Licum amnem Lacumq; Brigantinum oppida ad vetus rediere jugum. Wurtenbergensis quoq; Ducatus ad obsequium ferro coactus est. Et quicquid Svecorum erat, quicquid hostium, non in urbes & oppida, sed una quasi manu, trans Rhenum, in Alsatiam, & amicum Franciæ solum actum est. *Quæ victoriam sequutæ sint.*

Victoriosissimi Principes Ferdinandi

Ferdinandi ab invicem discedũt. nandi, invicem victorias congratulati, mutuasq́; , non sine modestia, virtutes mirati, pari rursus, qua primo convenerant, reverentia, ab amplexibus in expeditiones suas divulsi, ab invicem discesserunt.

Cardinalis in Belgiũ. Et Serenissimus quidem Cardinalis Princeps, Hispaniarum Infans, per Germaniam cum victoria in Belgium, ad triumphum, proficiscebatur.

Hungariæ Rex magnas urbes obsidet. Hungariæ vero Bohemiæq́; Rex, Gustavum Adolphum secutus, solvit in legiones exercitum, & (qualia nomina) Augustam vindelicorum, Norinbergam, Argentoratum, & Ulmam, uno eodemq́; tempore obsidione clausit.

Herbipolim occupat. Herbipolim, absq́; tamen arce, occupavit, quam Svecicæ coronæ senatus, paulò ante, deseruerat. Cum enim toto hoc bello non aliter, quam sedem, patriam, aulam, & Stocholmiam suam habitasset, jam fugiens iterum, Balthicum versus mare, qua suæ gentis homines tandem sequerentur, viam monstrabat.

Reverendissimus Reverendissimus illustrissimusq́; Franciscus Hatzfeldius, Herbipolensis & Bambergensis Episcopus Franconiæ

coniæ Dux, ut quædam suæ ditionis oppida expugnata intellexit, Principum Coloniæ exulantium primus ad subditos suos festinavit, ut si posset, insolentes militiæ mores, incendia rapinas, cædes, subditorumq; ruinas, aut omnino tolleret, aut levaret. *Bambergensis & Herbipolensis in Franconiam redit.*

Quod quia, nisi serenissimi Hungariæ Boliemiæq; Regis beneficio, fieri non poterat, ad eum Stutgardiam properavit: & victorias congratulatus, ab eo summis benevolentiæ signis exceptus est.

Nec tantum quod volebat obtinuit, sed in Franconia hærentis exercitus etiam directionem accepit. Itaq; armatos agricolas copijs addidit, & suam novo anno ingressus Herbipolim, cum magno incolarum triumpho, à magistratu urbis exceptus, non ad spectacula sed ecclesiam festinavit, & sub sacro missæ officio, Sanctorum Ambrosij & Augustini hymnum, in Deum gratus audivit. *Herbipolim ingreditur.*

Et sciens alia felicitate ad tuendam felicitatem opus esse (quippe qui nulli fortunæ minus quam optimæ credere didicisset) pro ijs quæ successere votis vota fecit, & divinam de cætero implorans opem, ad hu-

mana consilia deinde conversus est.

Ad Magnificum à templo convi-
Capti- vium Chiliarchas militares & Tribu-
vo Ra- nos invitavit, totiq; militiæ, si ca-
tisponē- strum expugnarent in brevi, duorum
sium E- stipendia mensium promisit. In hac
piscopo vero sua prosperitate exul antea,
lautia exulum non oblitus, captivo Ratis-
mittit. ponensium in arce Episcopo, de mensa sua lautia liberaliter misit.

Quis non illas illustrissimi viri virtutes suspiciat & admiretur! quis non prudentiam sanaq; consilia laudet! felicem alij Principem aliterq; dicant, uno ego nomine sapientem dixero, qui in utraq; fortuna pius, in utraq; puram servat Deo mentem: cui ut placeat ipse laborat, ut subditi florent illum precatur & ipse non
Omni- exhaurit: adeoq; omnibus in summa
bus gra- fortuna gratus, ut non odio, non in-
tus est. vidia luridi ad stabiliendam undiq; concurrant.

Itaq; Dei hominumq; favore Herbipolense castrum (quod in annum
Illi ca- defendere, præsidiarij minabantur)
strum non ipsos, à præsentia Ducis, viginti
Herbi- dies tenuit: sed summa impugnatum
polense vi humiliati propugnatores dedide-
deditur. re, ne jugularentur. Sic Franconiam
18 Ian.

vino

vino granisq; frugiferam Franconiæ Dux liberavit, & sua Prudentia porro felicem fecit.

Imperator Ferdinandus Secundus, cujus fere magnitudo calamitatibus crevit, Svecico jam fere periculo, fortitudine filij sui Ferdinandi Hungariæ Regis defunctus, his & alijs quoq; successibus allevabatur.

Coloredius Misnia Saxones, in Thuringia Picolominius Svecos concidit. Itaque Elector Saxo, suarum iterum metuens Provinciarum ruinam, de amicabili compositione cogitare cœpit, & è religione & diffidentia quadam nata dissidia pacis tollere legibus. Hoc ipsum Imperator non abnuit, modo æquitatis & Imperij sui ratio haberetur. Missi itaq; ultro citroq; legati, & facta statim, præambula pacis, armorum suspensio. Itaq; alibi Martis Bellonæq; sævitiam videamus, & cum Cæsarianis quibusdam cohortibus, è Saxonia in Bavariam migremus.

Saxones dãnum patiuntur.

Elector Saxo cũ Imperatore pacem tractat.

Vindelicorũ Augusta, à generosissimo Ottone Henrico Fuggero, fossis atq; loricis & quibusdã ubi aditus suspicaretur, castris fame premebatur: sed

Augusta Vindelicorũ ma-

gna fame torquetur. sed illa, Sancerrana quadam pertinacia & restitit, & incommoda toleravit. Subinde placebat eruptio, sic conserta manu equos in urbem, si poterant, abducebant, &, cum urgeret fames, aliquantisper inde vivebant.

Ad humanos cibos compellitur. Novissime ut ista est sublata facultas (quis crederet!) delicatam in Germania urbem, Fuggerus ad humanos cibos compulit. Illa autem ista quodammodo esca, in pertinaciam efferabatur. Jamq; viventes viventibus imminebant, tunc de pace agi cœptum: & ingratissimos hominum clementissimus Imperator, postquam domuerat, in honorem Imperialium tamen urbium sacris suis famæq; donavit. *A Cæsare in gratiam recipitur. 13 Marti.*

Inter hæc Franconiæ Dux Franciscus Hatzfeldius novum jussit conscribi militem, & agere tyronum ubiq; delectus: quibus, additis veteranorum quibusdam legionibus, generosissimum fratrem Melchiorem Hatzfeldium, Generalem Cæsareæ Majestatis machinarum magistrum, ut Aulam regiam (Conickshoviam vulgo) Franconiæ suæ clavem obsidione premeret, præposuit. Hoc ille *Hatzfeldius tractu temporis. Aulam*

non

non segnius, quam erat injunctum, *Reginam*
perfecit, & tractu temporis tandem *expugnat.*
expugnavit.

At jam inter Cæsarem & Saxonem, *Pragæ*
altas concordia egerat radices. Cum *inter*
Elector pacem urgens, & Imperator *Cæsarē*
amans, per legatos agerent & Pragæ *& Saxonem*
tandem convenirent. Conditioni- *pax cō-*
bus, si Cæsarem æstimes ut victorem *stituitur. 20*
minus dignis, si tempora quibus *Maij.*
contractum, necessarijs. *Conditiones*

Religionis indulta libertas, & o- *quibus.*
mnia in eum, quo anno 1627. 11.
Novembris fuere, statum revoca-
bantur. Ad quadraginta porro an-
nos sic permansura: in æternum in-
terim, amicabili quadam composi-
tione, componenda dissidia.

Pacis hisce legibus non modica
Protestantibus accedebant, nec con-
temnenda ecclesiastica bona, Episco-
patus & Archiepiscopatus concede-
bantur, victoq; similior erat Ferdi-
nandus qui vicerat. Sed eo tot mala
compulerant, & novis motibus illi,
qui amplius quam simplici Christia-
no nomine gloriantur, cogebant.

Cæterum hoc quoq; contractu Cæ-
sari tradebantur exercitus, quibus
Imperij hostes Germanico pelleren-

Multi Principes illā acceptant.

tur solo. Durum hoc erat Protestantibus alijs nomen: itaq; accommodare se malebant & pacificationi obedire Pragensi quam Imperij hostes audire. Ita Elector Marchio Brandeburgicus, Vinariensis, Lauenburgici, & Lunæburgenses Duces.

Megapolitanis Ducibus Cæsar ignoscit.

Megapolitanis Ducibus Cæsar clementer ignovit, & Ducatum Fridtlandi perfidia & cæde iterum ad se devolutum, liberaliter restituit.

Imperiales urbes pacem acceptant.

Civitates Imperiales Principes illos sequebantur, & admissa pace, Norinberga, Ulma, Francofurtum, Cæsari se submiserunt.

Quamvis autem Protestantes aliqui, Catholiciq; Principes, has pacis leges indignarentur, incredibile tamen dictu est, quam exhaustæ Germaniæ vulgus, dulcissimæ pacis nomen libenter audiret. Utpote cujus magis intererat, cum à victoribus simul & victis misere spoliaretur. Itaque plausus ubiq; & gaudia: nec aliter promulgatione concordiæ, quam modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu, fruebantur.

Bern: Vinari: Francis accedit.

Patebat Bernardo quoq; Vinariensi ad reconciliationem via, sed hic lilia subodoratus, Suecico se bello subduxit.

Cæterum

Saxo Suecos Imperio decedere jubet.

Cæterum sub Johanne Banerio Svecis, ut Imperio decederent, à Saxone imperatum. Illi conqueri quod se exclusis, pacem pepigisset: tergiversari etiam, & pro suorum armorum usu, à protestantibus recompensam postulare. Elector Saxo, concordiæ gratia, duodecies centena millia Imperialium obtulit. Amplius illi habere voluerunt: & alias quotidie, è difficultatibus, difficultates volvebant. Elector indignari, & arma minari nisi obedirent. Illi nec amicos se, nec inimicos declarare, missisque subinde legationibus, & spem faciebant, & moram.

Sueci tergiversantur.

Saxo eos persequitur.

Menses aliquot tergiversatio illa traxit, tum Sveci priores hostilia arma expedivere. Elector Saxo irritatus, totius Saxoniæ suæ mole in ultionem excanduit, & jam recedentium terga premens, plerisq; oppidis & regionibus eos excussit.

Magdeburgum obsidet.

Saxonia ad illum redierat: Halberstadium cum ditione sua tenebatur: totus Magdeburgensis tractus (unis Magdeburgi ruderibus exceptis, quarum adhuc cineribus quatuor integræ legiones incumbebant) jugum admiserat. Magdeburgum

itaq; castris, munimentis, & quinq; legionibus, sub Mitzlavio præfecto (qui in oppido Barbio statione cœpit) obsidione claudens, exercitu reliquo Banerium sequebatur, & Germanorum aliquot legiones, pollicitis suis allectas, in sua castra taxit. Sveci à Saxone Pomerania & Megapolitana regione exclusi, à Germanis plerisq; deserti, Lunæburgensium & Brunswicensium agros urebant, Provincias exhauriebant, miserorumque mortalium substantias exsugentes, non pecunia, non spolijs vulneribusque contenti, cum charioribus, quæ vulgus habebat, vitam pariter auferebant. Et Banerius omnino Totilam, Alaricum, & Attilam moribus induebat. Scilicet ut Svecos Gothosque in Germania aliquando fuisse, in posteros famosa crudelitas, per manus traderet.

Banerij Crudelitas.

Itaq; & vulgus & rustici exurgebant, ut communem generis humani perniciem, communibus armis tollerent. Sed Banerius non crudelitate magis, quam scientia rei militaris infestus, canum instar, & fugiens, & fugiendo respiciens, subinde mordebat. Et, ubi minime putabatur

Rusticor. Ædit.

tur

tur, resistens, modicis, ingentem multitudinem, copijs, in fugam propellebat.

Sic scientia rei militaris dimicandi nutrit audaciam: nemo enim facile metuit, quod se bene didicisse confidit, & in certamine bellorum exercitata paucitas, ad victoriam promptior est. Ruralis ergo & indocta multitudo exposita erat ad cædem.

Banerius successibus hisce erectior, majora jam, quia contemptus erat, ausus videbatur. Domitzium, Baudisio Duce (jam sub Saxone Generali Locum tenente) septem peditum millibus, Saxones obsidebant, & de Banerio, quod venturus esset, ne somnio quidem imaginabantur. Sed ille subito eos adventu terruit, &, quia equitatu destituebantur, duo facile millia trucidavit. Saxones caedit. 1. Nov.

Hoc illato vulnere ulterius ivit, & non pauca oppida recuperavit. Sic Saxones ægrotorum instar, qui cum levari morbo videntur, in eum de integro inciderunt, vehementius, profligato fere bello, laborare cæperunt.

Itaque in Saxoniam revertebatur bellum. Quod indignantes Saxones, iterum

Iterum 17. Decemb. iterum jaciendam belli aleam statuerunt. Nec Banerius detrectavit certamen. Ut ergo ad Kiritzium acies concurrêre vincentes fere Saxones Banerij virtus vicit, & quinq; legiones internecione delevit.

Magnus in Saxonia metus. Secundo hoc illato vulnere magnus Saxoniam metus invasit, majora ab amicis nuper, quam à Cæsarianis passa erat, formidantem. Et revera, ut adamas, si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant; ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia.

Saxo & Marazinius juncti in Banerium. Et speranda jam compositio nulla erat, quam utriusq; partis furor laceraverat invicem. Nec erat ulla partium nisi armis speranda felicitas. Itaq; Elector Saxo, junctis, ad Sandaviam, cum Marazinio Generale, copijs, unitis viribus in Svecos, movebant. Et tum quidem Banerius, se viribus imparem cognoscens, nonnihil retrocessit, & Havelam Saxoni, & Cæsarianis objecit. Hi autem, transitum alibi vadumque quærentes, in

Banerius Havelam ijs objicit.

March.

Marchiam usque Brandenburgicam
moverunt.

Hanc Banerius occasionem arri- *Mag-*
piens, relicto hoste, agglomeratis *debur-*
passibus ad Albim festinat. Quem *gum ob-*
ad Werbenum fortalitium transiens, *sidione*
præmisso equitum Magistro Redui- *liberat.*
nio, cum parte maxima equitatus,
Saxonicas, circa Magdeburgum le-
giones dissipat, fugat, cædit. Inde in
oppido Barbio, ipsius Præfecti Mitz-
lavij frustra deditione sollicitata,
Hallam, Merseburgum, & circumja-
centia loca depopulatur: donec Ba-
nerius, cum peditatu & re tormen- *Oppi-*
taria subsequens, oppidum Barbium, *dũ Bar-*
generalibus quinq; assultibus expu- *bium vi*
gnaret; non ante tamen, quam Mitz- *expug-*
lavius Tribunus, vulneribus aliquot *nat.*
sauciaretur. Qui Stralesondam pri- *Anno 1636.*
mum, inde ad extremas Finlandiæ *Mense*
oras ad castrum novum in custodiam *Feb.*
missus, post trium tandem annorum
captivitatem fuga elapsus, per va-
stissimas Russiæ & Moscoviæ terras,
trecentis milliaribus emensis, in
Germaniam & libertatem redijt.

Banerius interim Weissenfelsiam, *Eius ty-*
Naumburgum, Jenam, & pleraque *rannis.*
Misniæ intravit, & centenis aliquot
impe-

imperialium millibus extortis, tractum illum nihilominus spoliavit. Et omnia barbara quadam tyrannide, Germanisq; usu incognita, miscuit.

Hatzfeldius in Saxoniam. Et jam Elector, cum Marazinio, resistendo non erat. Ut ergo ad Cæsarem pro subsidio misit, Imperator Hatzfeldium comitem, eo destinavit. Quem ut Banerius venire sensit, non diu moratus, è tota se Misnia

Banerius fugit. præcipitis instar fugæ præripuit; exspectare non ausus ut positis in mensa ferculis frueretur. Itaq; trepidatio pro Victoria fuit, nec Hatzfeldius aliter, quam si vicisset, à tergo sequebatur; non modico suo honore, cum palam Saxoniæ liberator audiret,

Damnũ patitur. 2 Maij. hostiumq; terror, qui solo nomine Ducis debellarentur.

Ad servestam cominus venit, & parte equitatus mutilatũ Banerium, in ipsa Magdeburgi rudera pepulit; sexcentosq; nactus, sub ipsis mænijs trucidavit. Et quotidie non inter voluptates, sed caute inter dignas milite sollicitudines versans, magni Ducis famam progressibus pariebat.

Elector itaque, tantis jam firmus copijs, Magdeburgum, quatuor integris

gris

gris legionibus ferox, inspectante Banerio, munitionib⁹ atq; loricis omnino claudere non dubitavit. Cum suis Elector ab una, Hatzfeldius, cum suis, ab altera parte pressit urbem: sic ut medios Albis divideret; qui duobus, supra & infra, pontibus subjugatus, utramque ripam jungebat. Hoc enim prospectum singulari prudentia Ducum, ut, si quid Banerius moliretur, in unum, beneficio pontium, jungerentur exercitus. Sed hujus, intra virtutem Cæsarianorum, fortitudo fuit, quod otiosus spectator metu fatebatur.

Magdeburgum à Saxone obsidetur. 10 Maij

Hatzfeldius interim, ut suas ad Telonij propugnaculum appropinquationes produxit, maximum illud fortalitium, suum assilire militem jussit. Temeraria plerisq; res videbatur, nec deerant qui terrore deficerent, in quos, nisi paruissent, districto mucrone, Hatzfeldius, metu mortis, oppugnandi fecit audaciam. Et tanta vehementia Svecos aggressus est, ut illi, licet è superioribus jugis valloq; tecti sese defenderent, nihil tamen amplius, quam ad primum ictum constanter occurrerent. Mox enim, abjectis armis, pars se in Albim

Telonij propugnaculum expugnatur. 28 Maij.

bim præceps dedit, pars extenso pileo (quod supplicantibus signum est) vitam petivit. Et Hatzfeldius, non sanguinis, sed victoriæ cupidus, annuebat.

Hatzfeldij strata-gema. Suæ jam partis victor (cum Baudisium Generalem, præsidiarij Magdeburgenses, graviter sauciassent) transito cum plerisq; suorum ponte, Saxoniæ Electori se conjunxit, & omnia quoq; ibi lustratus, quicquid fieri necessarium erat, edixit. Tum non paucis mutatis in melius, istius quoq; partis res notabiliter proficiebat. Ut ergo ad fossas operibus perventum est, novo quodam invento lassum militem recreavit, nec, quod oportebat, omisit. Quatuor millia fæminarum, labores in utrumq; sexum dividens, sarmenta comportare, & eâdem nocte milites fossis injicere jussit: interim ipse magna machinarum vi, mænia humiliavit.

Banerio damnum infert. 8. Iulij. Jam omnia ad assultum parata erant, cum nuntiatur Banerium subsidio venire. Hatzfeldius non moratus, Electore Saxone præsidio castris relicto, urbem non deseruit, & Svecos, ad Tangermundam assecutus, cecidit; tam fœda clade, ut è tribus

Livo-

Livonicis legionibus non unus evaserit. Et ulterius Tangermundæ Stendelijq; præsidiarios omnes, arbitrio suo stare coegit.

Sic ad urbem redijt, & illi, ne quid speraret ulterius, Svecica signa ostendit. Illâ ejus virtute, hoc illius stratagemate factum est, ut desperantes Sveciæ legiones ad Electorem pro deditionis gratia mitterent, quam & Elector ijs, certis legibus, clementer indulsit. Non parvo ipsius emolumento, cum quadraginta sex, ex solido metallo, machinæ, viribus ejus adjungerentur. *Magdeburgum deditur 11. Iulij.*

Cæterum post Magdeburgum, vix aliquid Saxoni & Cæsarianis restitit. Non Mons ad Havelam, non Brandenburgum vetus & novum, nec Werbenum fortalitium quoq;, pertinacia præsumpsere. Omnia Cæsarianus & Saxonicus miles victor intravit, & fugientem Banerium per omnes Germaniæ angulos sequebatur: donec ad Witstochium, in Megapolitano Ducatu, ad prælium res devenit, & ibi paululum circumacta fortuna est. *Varia loca deduntur.*

Baneri⁹ enim Leslei & Vrangelicis quibusdam copijs confirmatus, subi- *Banerius*

prælium offert. to versa fronte, timidos & imbelles castris exesse jussit, & omnibus ad prælium, ferociam, furorem, victoriam, aut gloriosam mortem, accensis, in faciem ivit. Itaque testamenta passim in castris scribebantur, nec quicquam erat amplius difficile persuadere, persuasis mori.

Pugna ad Witstochium. 4. Octo Tumulus erat medius inter acies, hunc, quia opportunus erat, uterque vendicare conabatur. Ut ergo ex velitatione prælium paulatim Hatzfeldius fore prævidit, peritissime instructa acie, quam ipse interritus præcedebat, movit. Ita & Banerius fecit, & cum hic ex desperatione conjuncta fortitudini: ille ex virtute & bellicæ rei sciẽtia pugnabat, non alibi (ut, Tribuni, qui prælio interfuerunt, palam fatentur) inter partes, tam atrox pugna. Ab hora tertia, post meridiem, usque in seram vesperam, ferreorum instar montium steterunt. Tum primum Svecica mota acies, dextrumq; cornu in fugam pressum; sinistrum ad Sylvulam quandam submotum.

Et jam vicisse Cæsariani videbantur, cum nuntiatur, corpus exercitus Svecici nondum pugnavisse, & restare majores copias, quam dimicaverant.

Hatz-

Hatzfeldius Tribunos convocat, & quid ipsi nuntietur, exponit. Tum omnes, quoniam peditatus jacturam fecerat, & ea parte hostes prævalerent: quoniam tormenta, paludoso loco hærentia, moveri non poterant, nec quicquam inde præsidij exspectandum erat, recedendum judicaverunt. Itaque citato agmine ad Werbenum fortalitium, inde Halberstadium se recepere: cum, post prælium, ipso, quo dimicaverant, loco duas horas hæsissent. *Cæsaris ani se recipiunt.*

Iterum Banerius aderat, & abijsse Cæsarianos videns, fugere dixit. Hoc autem vel ipse credidit, aut Dux callidus in occasionem arripuit, & cum suis quasi in fugientes invectus, simul & suorum erexit animos, & Cæsarianorum perculit. Nam Sveci, dum se putant vincere, fortius sequi: Saxones, dum, per cessionem suam, urgente jam hoste, fugere se putant, fugere cæperunt. Non plures tamen, quia nox erat, quam mille trucidati. *Banerij stratagema, & Cæsarianorum clades.*

In ipso, quo pugnavere, campo, potior ab utraque parte clades. Hic, quam atrociter dimicatum sit, numero docuit. Octo millia ciciderunt hinc & illinc: &, interoccisos, à parte *Cæsorũ numerus.* *A parte Svecorum.*

Sveco-

Svecorum, Chiliarchæ, Berghavius, Cerbergius, Conigammius, & subchiliarchæ quinq;.

A parte Cæsarianorum & Saxonum. A Cæsarianis Wildbergius & Falkenstenius Comites desiderati sunt: A Saxonicis, Johannes Seidelitzius, Schartavius, Beiterius, Milditzius, & Milbæus, Tribuni, cum vice Tribunis tribus.

Hatzfeldij virtus. At, quod maxime Sveci mirabantur, quem Cæsariani pugnando cœperant locum, eum, amissa anima, corpore tegebant. Non sine Hatzfeldij, post cladem, etiam laude: quam vel ipsi hostes inviti dabant; cum faterentur, nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari. Attamen præsenti victoria usi, Werbenum fortalitium denuo obsidione clauserunt. Quod & tandem, nequicquam à Cæsariano milite defensum, in æquas ditionis leges consensit.

Banerius Werbenum fortalitiũ expugnat. 25. Oct.

Ejus crudelitas. Inde Banerius suas iterum in Misniam copias infudit, & totam, paucis oppidis exceptis, subjugavit. Non minus autem sævitia, quam viribus proficiebat. Nulla virginum fere, nulla fæminarum, inviolata permansit. Et, cum patrassent quæ Luxuria suggesserat, crudelitas succedebat, eademq;

eademq; illa, corrupta libidine, corpora, ferro mutilabantur. E-lisis passim infantibus matres suffocabant, aut, nodo, è crinibus earum facto, ab arboribus suspendebant. Adeoq; Banerius, barbarorum barbarissimus, permittebat ea, qualia nec in media scythia Tamerlanes aliquis indulgeret.

Tantorum scelerum ultionem quærente fortuna, ille iterum, antea quoq; fortis, dignus nunc conficiendæ rei Hatzfeldius visus est, & majori cum imperio copijs præesse jussus, Cæsaris & Electoris exercitus Locum tenens Generalis creatus est; qui nulli, nisi Electori, & Hungariæ Bohemięq; Regi, immediate subesset. *Hatzfeldius Generalis Locum tenens.*

Hac generosissimi fratris dignitate, & Imperij periculo motus, Franciscus Hatzfeldius Herbipolensis Episcopus, & Orientalis Franciæ Dux, tyronum aliquot legiones scripsit, & cum Hassi Darmstadiensis Landtgravij copijs (qui toto hoc bello fidelissime Imperio & Imperatori adfuit) subsidio misit. *Herbipolensis & Darmstadiensis Caesari subveniunt.*

Cæterum Hatzfeldius Generalis de peditatu (qua parte Banerius prævalebat) potissimum laborans, aliquot *Hatzfeldius de pedia*

Hatzfeldius de peditatu labo, rat, quot à Visurgi millia ad se vocabat. Sed illa, cum Ducibus suis, tergiversabantur. Consuevit enim fieri, ut flammam primum emicantem multus comitetur fumus, qui non, nisi invalescente & explicante se flamma, evanescat. Sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria, jam vitio major, invidiæ fumum discutiat. Novissime tamen Gotzius adfuit, sed Hatzfeldio parere jussus.

Exercet militem. Et hic jam, peditatu licet Svecis par, equitatu superior, non statim tamen in hostes duxit. Prius armilustrium instituit, & varia disciplina militem, varia rei bellicæ scientia instruxit. Ubi ad Witstochium peccassent, quid, & quomodo facere debuissent, monstravit. Eâque disciplina imbutum militem vere exercitum fecit.

Banerius Torgam expugnat. Anno 1637. 26. Ian. Torgam interim Banerius, octo Saxonicis legionibus ad deditionem compulsis, expugnaverat, & Lipsiam toto invaserat bello. Hæc quanti intersit, ignavus an fidelis urbi præsit, constantia sua docuit, & tertio prius à Cæsarianis sub jugum missa, sub strenuo Gubernatore suo Transdorffio,

sio, ferventissimi Ducis non modo impetum tulit, sed fregit.

Lipsiam obsidet 22 Ian.

Novissimè Banerius, cuniculis actis moenijsque quassatis, tympanistam sub vallum misit, qui Transdorffium, Generalis sui nomine, ut urbem traderet, monuit: secus, nec infantibus in utero matrum parciturum. Transdorffius interritus & audivit & respondit. Neutiquam traditurum commissam sibi urbem; decætero ferocia sua, & si cederet, sævitia uteretur. Banerius fremens selectissimum ab exercitu miltem ad assiliendum disposuit, & opportunis tempori verbis animavit: fortiter pugnarent, urbem annuis opulentissimam nundinis, præmium prædamque fore.

Et jam omnia ad assultum parata erant, cum à duobus cursoribus Banerio litteræ traduntur, quibus indicatur Generalem Hatzfeldium adventare. Mox Banerius non modo ab assultu militem revocat, sed ab urbe agglomeratis passibus Torgam fugit.

Hatzfeldio veniente fugit 17. Feb.

Hatzfeldius pone sequebatur, & legiones subinde lacessens, varias dissipavit, nunquam Banerio justi prælij aleam subeunte, quamvis Hatzfeldius non semel offerret. Sed modo in

Torgæ usultū negotij Cæsareanis facessit.

hanc

hanc, modo in alteram ripam, traducto exercitu, modo Cæsarianum machinis pontem lacerans, modo subita Misenæ expugnatione terrens, multum negotij, parum profectus faciebat.

Multos menses tergiversatio illa traxit: & quamvis summè Hatzfeldius Svecos urgeret, non prius opportunissimam tamen urbem deseruere, quam Marasinium novis viribus & Gallassium adventare nuntiaretur.

Tum Banerius, tantis imminentibus simul copijs, fugere maluit quam cum exercitu suo cingi. Sed artis, tot invigilantibus poculis erat evadere. Itaque aliâ minatus, aliâ erupit, & Erfurdiam simulans in Pomeraniam fugit.

Torga in Pomeraniam fugit. 28. Iun.

Sed quales Cæsariani erant ad nuntium rei? Magna terrarum spatia expedita manu emensi, universum, per partes, Banerij peditatum assecuti, universum deleverunt; Sic ut per viginti facile milliaria sparsa cadavera, Seciæ fugæ iter ostenderent.

In Usedomam Insu-

Equitatum per Saxoniam, Marchiam Brandenburgicam, Silesiam, in Pomeraniam sub ipsa Stetini mænia, tandem

tandem & in Usedomam Insulam fugere coëgerunt. Ibi Johannes Banerius, recepto nonnihil spiritu, suos confirmavit. *lam se recipit.*

Guilielmus Landgravius Hassiæ, audiens hanc Suecorum fugam eorumque stragem, suæ se Hassiæ ulterius non credens, relictis Cassellis, cum uxore, & liberis, ut Hollandiæ vicinior esset, in Orientalem Frisiam movit. Ibi varijs locis præsidia disponens, totam Provinciam, cum Oldenburgico Comite exhausit. Huic enim, nescio qua prætensione, ultra centum imperialium millia extorsit. *Guilielmus Landtgravius Hassiæ in Orientalem Frisiam fugit.*

Dum autem fugas inter & expeditiones tumultuatur, contagione correptus, ex hac vita migravit. Et adeo nondum desperaverat, ut ultra mortem suam in rebellione pertinax, Franciæ & Angliæ Reges, & unitarum Provinciarum ordines, proliumq; suarum tutores scriberet. *Moritur 2 I. Sept.*

Banerius interim Vrangelio junctus, è Balthico rursus sinu, in continentem irrupit, & Cæsarianos ab Anclamij obsidione excutiens, in ulteriorem Pomeraniam ille, in cite- *Sueci in continentem revertuntur.*

riorem

Ad Tribsesiũ caeduntur 20. Octob.

riorem Pomeraniam hic, animosior gradiebatur. Sed Matthias Gallassius Bredavium, Generalem vigiliarum Magistrum, vicinioribus obviam misit. Hic egregia prorsus fortitudine, in venientes invectus, ad Tribsesium quinq; legiones dissipavit, octingentos delevit, viginti quinque signa rapuit, quatuor tormenta abduxit, &, ingenti præda potitus, ad Gallassium victor reversus est.

Iterum in Insulas fugiũt.

Hæc Svecorum clades non modo Vrangelium, sed Banerium quoq;, in Pomeraniam, & Balthici maris littora, & in Insulas repulit, munimentis & oppidis vicinis ejecit, & præsumentes nuperis in Imperio successibus, Svecorum animos, non parum humiliavit.

Cæsariani varia occupant.

Quicquid enim à tergo, in superioris Saxoniæ circulo, Gothicum erat, Brandenburgici, Klitzingio Duce, occupaverunt. Quicquid à fronte, in Pomerania, Svecicum perseverabat, unum post alterum, tractu temporis, in Cæsarianorum manus venit.

Wolgastum 10. Dec.

Non integræ quinq; legiones Wolgasto, non tres chiliarchæ, non triginta duo Centuriones, nec tormen-

ta

ta quidem, & quadraginta septem militaria signa, profuere. Et in hoc enim, sub Bredavio Generale, Cæsariani irrupere, &, fugientes in arcem, mari septam, post paululum, armata manu secuti, uno impetu omnia rapuere.

Usedomam Insulam, propugnaculis, & fortalitijs, Sveci munive- *Usedomam Insulâ. 12. Decemb.* rant. Sed nec illa profuere. Idem Bredavius enim, comparatis navibus, favente Euro, transfretavit, & cæsis Svecorum copijs frontem ausis, fortalitia expugnavit, & totam Insulam sui juris fecit.

Damminum, in continente, co- *Damminum 24. Dec:* hortes aliquot defendebant. Sed à Goltzio Generale acerrime oppugnatum, & parte mænium pyrobolis humiliata, dum deteriora metuit, præsidium sinu admisit.

Quin & Hannovium quod unicum *Hannovium. Anno 1638. 23. & 24. Febr.* ad Mænum, inter tot prælia & fortunas partium (tum Jacobi Ramsay Generalis Vigiliarum Magistri virtutibus & moderatione: tum, ob hæc ipsa, vicinorum Principum conniventia) hucusq; Svecicum perseverabat, sortem suam subijt. Cum enim Ramsajus (ob Philippum Mau-

ritium Comitem, loci Dominum, nuper in gratiam ab Imperatore receptum, cum Solmeio Laubacensi Comite, in arce propria, arresto detentum) in Tyrannum, & præsidiarij ejus in prædones degeneravissent, à Ludovico Henrico Dillenbergio Comite, intempesta nocte, quò ad antiquam urbem, & sequenti die, quò ad Novopolim, interceptum est; ipso Ramsajo Scoto graviter sauciato & in captivitatem abducto.

Garzia 14 Mart. Hannovium ad Mænum, Garzium ad Viadrum, post paululum, eadem fere ratione sequebatur, Klitzingius enim Brandenburgicarum copiarum Generalis, ubi præsidium, transfugio crebri, extenuatum inaudijt, crepusculo matutino, in confinio lucis & tenebrarum, primo impetu expugnavit, &, ducentis obvijs trucidatis, duodecim vexillis raptis, Dromondium Generalem Vigiliarum Magistrum, Romsay (ut ferunt) affinem, certe fortunæ socium, uno fere eodemq; tempore, captivum abduxit.

Warnemunda. 21. Mart. Ut Hannovium Damminum, & Garzium Hannovium, sic Warnæmunda Garzium sequebatur. Non illi

illi situs, non munitio, non opportunitas profuit; imo ne quidem quod Balthico mari immineret, &, patente portu, Wismaria & Stralesonda subsidiū à longinquo ratibus adnavigaret. Ad extremum enim, ferro humiliata, traditis decem & octo tormentis, deditionem fecit, non inulta tamen, cum Vice Domini Eckstettenij Generalis sanguine, victoria emeretur.

Et jam fere in oppidis erat cum Svecis debellatum, adeoq; in arcto erant Svecica arma, ut victoriæ fere nihil nisi Svecia ipsa restaret. Tum, nondum superis reconciliata Germania, diffidentia, odium, livor, ambitio (quæ bello concepta otio valescunt) Cæsarios Generales invasit. Hinc crapula, ignavia, torpor, & uni præ altero in hostem proficiendi dura cervix. Insuper, vastatis agris, exustis molendinis, non farina, non triticum erat, & nihil æque porro affligebat quam dira fames: præsertim in posterum, ob corruptos militiæ mores, & sævitiam militum, agricultura neglecta, & omni ætate ad bellum versa; dum partes hostium commeatus sibi destinant. Satis

Rationes quur non debellatū.

cõſtititGeneralesipſosnonnunquam prandio accubuiſſe, in tota menſa non dupondio panis. Inde, Germanis in Italos, Italis in Germanos, culpam rejicientibus, ira invicem, indignatio, murmur: & paulatim, in gregario milite, morbi, mortes, fugæ. Adeoq; conſumebantur exercitus, ut, qui ante quadraginta millium fuerant, tractu temporis, non undecim mille excederet. In totum vero nihil amplius obfuit, quam quod ad ſeptentrionem debellatum exiſtimaretur.

Filij Frederici Palatini in Cæſarem. Cæterum hanc ſcabiem nonnihil relinquamus, & à Codano ſinu, ad novos, immo & hæreditarios hoſtes, in Hollandiam navigemus. Ibi filij Frederici illius, qui eventu irrito, imo & noxio, Bohemiæ Regnum ambiverat, in Cæſarem armabantur, &, pro uno, Palatini duo, in prætenſiones Patris, & prælia ſuccedebant. Hi, poſt mortem Genitoris, comitijs ſingulis de injuria queſti, & hucusq;, gratiam inter Cæſaris, & ambitionem integræ fortunæ tumultuoſi, tandem, ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura cum exitio præcipitare maluerunt.

Itaq;

Itaq; Meppena, cui à fronte West- *Meppena in sedem belli.*
phaliæ, & inferioris Saxoniæ circu-
lus, & à tergo, opportunis ad subsi-
dia Angliæ portubus, Frisia & Hol-
landia erat, sexaginta imperialium
millibus, in sedem belli coempta est.
Hinc commeatus hic, annonæ, & vi-
ctualium rerum abundantia, tor-
menta viginti quatuor maxima, pe-
cuniarum thesaurus ingens, & quasi
integra familiæ Palatinianæ fortuna.
Omni deinde Frisia, Batavia, Clivia,
& Anglia legebatur miles, & unitis
omnibus Belgarum Provincijs, pro
multis virorum millibus, arma præ-
parabantur.

Imminebat ergo Romano Imperio *Meppena intercipitur. 12. Maij.*
& Imperatori nova bellorum tempe-
stas: quæ, ut in tempore dissiparetur,
à Cæsarijs Tribunis in consilium i-
tum. Tum nihil magis Velenio Ge-
nerali, quam Meppenæ occupatio
placuit, iu qua omnia simul destrui
posse videbantur. Factum est; & tan-
ta quidem felicitate, ut una nocte,
uno impetu, una, & ne integra qui-
dem, legione, Ketlero Chiliarcha
Duce, interciperetur. Præfectus mu-
nimenti, generose quidem, sed pa-
rum ad præsentis fortunæ faciem,

insultanti Cæsario Officiali colaphum impegit; mox enim audaciæ exitio suo parentavit.

Frederici Palatini filij, juncti Svecis, ad Lemgoviam cadun-tur. 17. Octob:

Et hæc prima, cum Palatini filijs, Bellonæ procella. Altera ad Lemgoviam, sed magis, & fere cum excidio partis, exitiosa. Quippe Carolus, Ludovicus, & Robertus, Palatini, fratres, generosissimi adolescentes, Meppenæ damno irritati, noviter conscriptas in Westphaliam rapuere legiones, & juncti Svecico Generali Kingio, unitis animis virib⁹q́; Lemgoviam obsederunt. Ergo Hatzfeldius Generalis, totius jam Westphaliæ circuli defensor, non nescius primis eventibus metum aut fiduciam gigni, associato sibi Generale Gotzio, citis legionibus in subsidium movit. Non placuit Sveco-Palatinianis expectare impetum, sed prævenire, &, relicta tantisper urbe, in adversum aciem direxere; nec infeliciter quidem, si exitus principio respondisset. Petrus Gotzius enim Generalis cecidit, &, in fugam nutans Cæsariana acies, gradum retro dedit. Et dubio procul, factum erat, nisi Hatzfeldius Generalis, singulari fortitudine, aciem restituisset. Hic enim aliquot

cataphra-

cataphractorum equitum turmis, à
latere Sveco-Palatinianos invadens,
glaciem & aciem fregit. Tum suum
Generalem reliqui sequebantur, &
in perterritos novo animo & recol-
lectis viribus invecti, retro pepule-
re. Sic Cæsarianis nihil non victoriæ
porro adfuit, cædere, captivare, ra-
pere, spoliare. Alter & junior Pala- *Prin-*
tinorum Robertus in manus venit, *ceps*
alter & senior Carolus Ludovicus, *Rober-*
rheda & sejugibus equis in Visurgim *tus ca-*
præceps, appræhensa, in periculo, *pitur.*
salice, ægrè Mindam pedes evasit;
quo & Kingius, Sveciarum copia-
rum præfectus, humero genisq; sau-
cius, profugit.

Ipso, quo pugnavere, loco, ad *Capti-*
duo millia cecidere, quadraginta tria *vorum*
vexilla rapta sunt, tormenta octode- *& præ-*
cim in manus venerunt, duo Britanni *dæ quan-*
Comites (quorum unus ditissimus, *titas.*
& quasi Angliæ Crœsus, insigni in
Palatinianam familiam zelo, binas,
è suis loculis, legiones scripserat)
cum alijs sex Tribunis, & Generale
Ferentio, excepto gregario milite,
in captivitatem abducti sunt. Insu-
per equestris fascia, multis adaman-
tibus pretiosissima, &, non ita pri-
dem,

dem, ab Angliæ Rege, Carolo Ludovico Palatino donata, Hatzfeldio cessit. Et, uno in curru, triginta millia imperialium inventa, ab eodem Hatzfeldio Comite, in virtutis præmium, militi permissa.

Parũ Damnũ Cæsarianorum. Cæsarianorum, excepto Petro Gotzio Comite, Generale Vigiliarum Magistro, bellicosissimo viro, & Terellio Chiliarcha Hyberno, non amplius triginta sex cecidere. Robertus *Robertus Princeps ad Cæsarẽ mittitur.* Palatinus junior ad Cæsarem missus est; tanto cum honore, ut aliquid etiam libertate sua felicius, captivitate & infortunio suo, assecutus videretur. Et ita quidem, hac vice, cum Palatini filijs, debellatum.

Sveci in Marchiam Brand. Interim in Pomerania Sveci Cæsarianorum vitia in occasionem virtutis arripuere, & novo supplemento militum, è Svecia, Livonia, Gothia, *Damnũ patiuntur 8. Nov.* confirmati, receptis omnibus vicinis oppidis, per Megapolim & Marchiam Brandenburgicam, in Cæsarianos duxerunt, non usquequaq́; , primo initio, tamen feliciter; cum quatuor legiones integræ, ad Boitzenburgum, Bruajo Duce, obruerentur. *Cæsarianos cædunt. 10. Dec.* Sed, post paululum, se Banerius acriter vindicavit, & Marazinium, Len-

tzenam

tzenam inter & Domitzium, aſſecutus, duobus millibus & quadringentis trucidatis, in fugam vertit, & deſtinatum Gallaſſio commeatum, in ſua caſtra victor abduxit.

Gallaſſius in Saxoniam movet.

Gallaſſius ergo, rerum omnium defectu, & jam non undecim armatorum millibus ſtipatus, à Domitzio & Albi, in Saxoniam movit, &, legionibus ibi relictis, ipſe in Bohemiam & Viennam porro, ut ſtatum exercitus Imperatori, & neceſſarium huic ſubſidium explicaret, profectus eſt.

Banerius Albim ſuperat.

Banerius itaq; nullo exercitu repugnante, Domitzium aggreſſus, poſt dierum aliquot obſidionem, facile ad deditionem coegit. Inde Albim ponte ſubjugare, & Svecica rurſus arma, in Germaniæ viſcera, promovere præſumpſit. Quod non adeo ipſi difficile fuit, cum Georgius Luneburgicus, qui arcere debuerat, aditum aperiret, copijs juvaret, annona ſubveniret, & omnia pacificationi Pragenſi, nuper admiſſæ, contraria machinaretur. Quin & Auguſtum Brunſwicenſem Ducem (qui bellis omnibus neutralis, magis autem Cæſarius fuerat) in partem traxit,

Georgij Luneburgici defectio: Auguſtum Brunſwicenſem in partem trahit.

xit, ne solus bellaret, & integram Luneburgicam Domum, una eademque fortuna simul involveret. Ferebatur Arcis Guelphonis restitutionem hucusq; dilatam, & Episcopatum Hildesiensem repetitum, ægrius tulisse. Ut ut sit. Et illa, promissis contraria, præstitit, & contributiones Cæsari, ut & stativa militum denegavit.

Banerius Salisium ad Reichenbachium cadit. Anno 1639. 21. Febr. Banerius, tantis jam à tergo subsidijs & amicis fultus, in Halberstadiensem, Misnensem, & alias ditiones, animosior gradiebatur. Nec primum ejus impetum, ad Reichenbachium, Salisius Comes, Generalis Vigiliarum Magister, tulit. Cum septem legionibus cæsus est, & ipse, cum Tribunis tribus, quindecim vexillis, & signis equitum viginti quatuor, in manus venit.

Marazinium ad Chemnitium. 14. Ap. Non secundum, Chemnitium inter & Hohenstainium, Marazinius. Sed, decem millibus in fugam versis, mille quingentis trucidatis, Buchaimius Comes, cum Tribunis varijs, & triginta sex equitum, viginti peditum vexillis, captus est; nullo fere Suecorum, nisi Witgenstenio Comite desiderato.

Non

Non tertium, ad Rothenhausium, Comes Slickius. Quatuor legionibus etenim internetione deletis, sedecim vexillis raptis, ipse cum officialibus suis, victi captiviq; sortem subijt. *Comitem Slickiũ ad Rothenhausiũ. 24. Ap.*

Non quartum deniq;, ad Kosteli-tzium, Hofkirchius Generalis. Et ille enim, nequicquam fortiter & generose pugnans, octo legionibus dissipatis, cum Comite de Monte Cuculi, chiliarchis pluribus, & signis equitum viginti tribus, eandem cum cæteris sortem expertus, in Banerij potestatem transivit. *Hofkirchium ad Kostelitzium. 29. Maij.*

Quis jam, post tot prælia, fugas, clades, de aditibus & castellis dubitet? Non Suickovia (quæ clavis Bohemiæ & superioris Palatinatus est) non Chemnitzium, Leutomarizium, Buduissium, Brandisium, nec Regio-Græcium quidem restitit. Omnia Banerius victor intravit, & Pragam insuper conversus, regiam illam Bohemiæ urbem tormentis bellicis laceravit; multo majora ausurus, nisi ab Austria & Austriaca Domo, velut in Clypeum aliquid profectũ fuisset. *Variæ urbes occupat.*

Cæsar enim serenissimum fratrem Archiducem Leopoldum Guilielmum, cum nonnullis copijs, ut vim *Archidux Leopoldo Guiel*

Gielmus in Banerium. fortunamq; Principatus proximius ostentaret, Pragam misit, parvis periculis non immiscendum, & majoribus non defuturum. Et sane, eo præsente, Svecici torrentis impetus, velut objecta mole, utcumq; retardatus est.

Hujus insolentia. Banerius enim, Praga relicta, ad alia versus, & Moraviam levioris armaturæ equitibus spoliabat, & eodem tempore, in Austria supra Oenum, rusticos, ad rebellionem sollicitabat; mira ubiq; licentia, tota æstate grassatus, ut exhauriret Provincias, quas jam servare desperabat. Ipsa itinerum spatia, & stativorum mutationes, venditabant Chiliarchæ, fædis pactionibus; & adeo quidem minaciter, ut faces oppidis admoverent, donec pecunia mitigarentur. Quoties pecuniæ materia deerat, & stupris & adulterijs exorabantur. Cædes, torturæ, mutilationes, tyrannis, & cætera sævitiæ mala stuporem excedebant. Quæ, licet omnia Banerius non approbaret, tamen ex nimia indulgentia ejus occasionem habebant.

Koningsm. Pari insolentia Koningsmarckius Generalis, per Franciam Orientalem,

lem, ad Banerium aſcendebat, cum Herbipolenſi Epiſcopo & civitati ſexaginta imperialium millia, pro redimendo incendio, extorquerit.

Marchio ad Banerium.

At jam & Hatzfeldius & Picolominius, ſuis etiam copijs, Archiduci aderant, paribus votis ac viribus in hoſtem ituri. Tum Banerius diſperſas & populationibus ſedulas legiones, ne ſingulæ obruerentur, in caſtra revocans, cautius & arctius egit.

Hatzfeldius & Picolominius ad Archiducem.

Sed parum jam proderat contracta virtus. Quippe Archidux, cum Picolominio, in aciem & campum prodijt, ſi forte hoſtes, ſucceſſuum fiducia freti, in adverſum irent. Sed Banerius, jam quaſi ſe ipſo vilior, aut quod Auſtriaci ſanguinis majeſtatem veneraretur, paulatim, retro abijt. Atq; hæc prima de eo victoria fuit, quod prælium non auderet.

Archidux & Picolominius in Banerium.

Ergo Leopoldus Guilielmus, in urbes & oppida verſus, Regiogræcium, quod legione Alba, duodecim præſumente cohortibus, ſub Sabelditzio Generale Vigiliarum Magiſtro, defendebatur, obſidione clauſit; & paucarum dierum ſpatio, eo anguſtiarum redegit, ut Marchioni Matthæi, inſigni generoſitate mænia aſcen-

Regiogræcium expugnant. Anno 1640. 19 Feb.

ascendenti, duodecim vexilla, extra vallum, obviam projicerentur. Sexaginta millia imperialium, decem millia modiorum tritici, à Svecis Bohemiæ rusticis, violenter extorta, uno illo in oppido inventa sunt. Et ultro legio integra Romano Imperatori militiæ sacramentum dixit.

Bredavius ad Plawam Svecos cadit. 29. Apr.

Post Regiogræcium, omnia Bohemiæ loca, Buduissium, Thaborium, Leutomaritzium, & alia, una excepta Zwickovia, Sveci deseruere, & in Thuringiam, Erfurdium usq;, recesserunt. Sed Austriaci pone sequebantur, & Bredavius Generalis vigiliarum Magister, sinistram eorum alam, sub Wittenbergio Generale, ad Plawam assecutus, ita cecidit, ut decem legionum Tribunos, vexilla, tormenta, spolia, & bellicum apparatum omnem, victor ad Archiducem in castra referret.

Banerius ad Erfurdium variis copiis confirmatur 15. Maij.

Et jam Banerius, parte magna exercitus mutilatus, in non modico periculo erat, cum Lunæburgico iterũ, Hassico, Brunswicensi, & sub Longevillio Duce, Gallico-Vinariensi subsidio, ad Erfurdium sublevaretur. Ita quadraginta millium exercitu fretus, ad Salefeldiam, in Cæsarianos duxit.

Sed

Sed hi, opportunis in castris ad Salam, tuti, ita in adversos detonuere, ut, centenis aliquot stratis, Tribuno Erico Slangio dextrum brachium, tormenti globo raperetur.

Damnum patitur. 22. Maij.

Banerius tamen haut destitit, sed septimanis aliquot, continuis velitationibus, varioque conatu infestus, prælium anhelabat, antequam & apud Cæsarios exercituum robora coirent. Sed tandem inopia commeatuum, penuria aquæ, & Bavaricarum legionum, cum Leopoldo Guilielmo conjunctione, in aliam mentem adductus, relicta Thuringia, in Hassiam retrocessit.

In Hassiam movet. 10. Iunij.

Archidux, cum Picolominio, loci patientia victor, per Hercyniam sylvam prævenire properabat. Sed Banerius, & ipse compendio viarum usus, prior ad Visurgim, Wildingium inter & Zigenium, castra communivit. Archidux, non duobus ab eo milliaribus, ad Fritzlariam, cum suis, consedit. Variæ ibi bellicæ artes, stratagemata, inventiones, doli: Sed plerumq; irriti, & non nisi velitationibus terminati.

Banerius ad Wildingeum Archidux ad Fritzlariam castra muniunt.

Banerio commeatus, annona, & amica à tergo, & cui insederat, regio

Banerius

erat.

Cæsari: animale habent. erat. Archiduci & Picolominio in contrarium omnia vertebantur. Hinc victualium difficilior ratio, quæ â gregario milite, longinquis & periculosis populationibus quærebantur.

Conatus in invicem. Hoc ut Banerius non ignoravit, excurrentes longius & vagantes carpere, exurere molas, insidere aditus & flumina sedulus, statuit hostem inopia rerum debellare. Sed Hatzfeldius à tergo, & Gelenius à latere veniens, quod Banerius in Archiducem & Picolominium, illi in Banerium & Confæderatos moliebantur.

Banerius damnũ patitur 13. Sep: Itaq; ab incepto destitere Sveci, & Banerius, antequam Cæsarij jungerentur exercitus, quod fame non poterat, vi & ferro concepit. Sed ab Archiduce & Picolominio ea violentia damnoq; rejectus est, ut, tribus legionibus internecione deletis, vix Nassovius Comes, qui parti exercitus præerat, cum duabus evâderet.

Ejus conatus irritus. Tandem, ne Hatzfeldius & Gelenius Archiduci & Picolominio jungerentur, impedire nitebatur. Sed & hoc eventu irrito, cum illi propositum ejus stratagemate luderent, & in castra salvi, nemine è suis desiderato, pervenirent.

Er-

Ergo Cæsariani, tot jam successibus animosiores, unitis viribus, & serena die, Huxariam moventes, in Luneburgensium & Brunswicensium ditiones, aditum moliebantur: tum, ut vel Principes illos à Svecico fœdere præsentibus armis abstraherent, aut, per horum ruinam, Svecicam militiam enervarent. Sed neutrum accidit. Quamvis enim Huxariam, tormentis bellicis fœdissime laceratam, & quatuordecim cohortibus sub jugum missis, expugnavissent; adeoq; aditum in regiones illas ferro aperuissent: Quamvis tribus Croatarum turmis, trans Visurgim, quatuor Luneburgensium legiones dissipassent, & jam præterlabentem fluvium ponte subjugarent, nihil tamen ulterius profecerunt. Banerius enim, cum universo confæderatorum exercitu, citisq; legionibus, in adversum movit, & Croatis iterum trans fluvium actis, Cæsarianum machinis pontem laceravit. Sic medios & propositum omne Visurgis dividebat.

Cæsariani frustra aditum in Luneburgensem ditionem moliuntur.

Cum ergo Provinciæ non cessissent, in pertinaces & importunos Principes alio modo bellatum est; & publi-

Luneburg: & Brunswicensis Duces imperij hostes declarantur. publice, in publicis, Ratisponæ, Comitijs, Romani Imperij hostes declarati. Tum arcis Guelphonis præsidiarij, in ipsis regionum visceribus, ferro & igne grassati, Steinbruggam munitissimum arcem interceperunt; modico tamen suorum emolumento, cum, paulo post, rursus in Luneburgensium potestatem redigeretur. *Arx Guelphonis obsidetur.* Ne autem de cætero regionibus illis periculum immineret, ipsam Guelphonis arcem obsidione clauserunt.

Et hic rerum in Imperio Romano *Cæsariani in hyberna movent.* status erat, cum, vergente jam ad senium & occasum anno, partium animi hyberna anhelarent. Ergo Cæsarianus exercitus, qui ex varijs Generalibus coaluerat, in varia iterum, sed minuta corpora, dissolutus, in destinatas otio regiones digrediebatur.

Et tum quidem memorabilia duo, si non prælia, velitationum tamen excedentia decus, contigerunt; & alterum Cæsarianis, Svecis & Confæderatis alterum, uno fere eodemque casu, gloriosum.

Hatzfeldij victoria me- Hatzfeldius, cum suis, in Westphaliam regrediebatur, & ad Lupiæ fontes nonnihil tardans, fatigatas itinere legiones reficiebat. Cum

subito

ſubito nuntiatur, Tribunum Slangi- *mora*
um, cum aliquot Svecorum milli- *bilis*
bus, imminere. Hatzfeldius non *15. Oct.*
moveri, & inſigni generoſitate (quamvis vix tantum temporis præſentia hoſtium indulgeret, ut, cum ſuis, equos aſcenderet) in faciem ivit. At jam viciſſe ſibi Slangius videbatur; adeoq; circumfuſis copijs, in Hatzfeldium præſumens, *Ecquid ita Domine Generalis*, inquit, *ecquid ita ex inſperato convenimus? Quoniam ita Fortunæ placuit, invicem experiamur.* Mox, exploſis brevioribus ſclopetis, & à fronte, & à lateribus, & à tergo inſtitit. Sed recte Virgilius

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoresq; cadunt.

Hatzfeldius enim, licet numero copiarum impar, & multitudine hoſtium circumventus, quaſi ex deſperatione pugnans, ea fortitudine Svecos aggreſſus eſt, ut, centenis aliquot, & ſeptem equitum præfectis, trucidatis, in turpem, cum ſuis, Slangius, fugam verteretur. Quem Hameliam usq; Hatzfeldius inſecutus, ſi non proficuæ, ſuſpiciendæ ſaltem victoriæ gloriam, in hyberna retulit. Sed ad alterum veniamus. For-

Celebris victoria Reinoldi Rosæ 15. Nov.

Fortissimus Sveco-Gallicus Tribunus Reinoldus Rosa, modicis, sed crebris velitationibus secundis, circa Friedbergam, notabilis alicujus victoriæ famam procurabat. Itaq; Archidux Leopoldus Guilielmus insolentiam viri semel castigaturus, Bredavium Generalem, cum tribus equitum cataphractorum millibus, in Rosam, cum viginti equitum suorum turmis, non procul Zigenio tunc hærentem, misit. Rosa, intellecto Cæsarianorum adventu, nullatenus trepidavit. Sed in adversum movens, non tantum sustinuit impetum, sed ipso etiam Johanne Rudolpho Barone Bredavio, Generale Marscalli Locum-tenente, strato, numero licet inferior, generose fregit, &, sexcentis equitibus in potestatem redactis, reliquias dissipavit. Adeoq;, Hatzfeldium æmulatus, gloriose victor, ad modicum in hyberna cessit.

Mors Electoris Brandenburgici. 1. Decem.

Inter hanc partium quietem, Georgius Guilielmus Marchio Brandenburgicus, Elector, Prussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stettini, Pomeraniæ, &c. Dux, dudum hydropisi laborans, tandem Regiomonti in Borussia

russia devexit : cui filius Marchio Fredericus Guilielmus Elector, in regimine successit; pacificus omnino Princeps, bello alienus, adeoq; partium odio zeloq; procul, suspectam aliquibus neutralitatem colens. Quæ an serenissimo adolescenti, pro nominis specioso vultu, proficua futura sit, tempus docebit. Nos ad propositum & bella revertamur.

Banerius expeditionem parat.

Vix Cæsariani in hyberna secesserant, cum Banerius, occasione & aliorum otio usus, novis se expeditionibus accinxit. Quia autem arma & equi defecerant, iterum Luneburgici sollicitati. Qui, ut Provincia noxijs etiam amicis exoneraretur, tum armaturam variam, tum aliquot equorum millia suppeditarunt.

Ejus corrupta disciplina & licentia.

Sic Banerius, equitatus robore numeroq; fretus, præmisso in Misniam Generale Phulio, ipse, associatis sibi Vinariensibus, cum exercitu reliquo sequebatur; tam corrupta disciplina & licentia diffluens, ut, luce meridiana clarius, appareret, non jam in Germania bellum, sed latrocinium esse. A solis Hallis centum imperialium millia, & quinquaginta equitum atmaturam petiit, ignes, flam-

flammas, faces minitans, nisi maturrime suppeditarentur.

Swickoviam obsidione liberat, Magno inprimis suo emolumento, cum alia Misniæ Bohemiæq; deſereret, Swickoviam præsidio Svecico servaverat. Quamvis enim, Hungario Duce, à tempore sui recessus, Saxonico milite obsideretur, jam in reditu facile, universa exercitus sui mole, in libertatem asseruit.

Usq; Ratisponam penetrat, Hinc, opportuno aditu, plenis agminibus in Palatinatum superiorem & Bavariam movit; ita inopinatus, ut in Ratisponæ mænia (in quibus, de ineunda pace Electores convenerant) armis præsumeret. Scilicet, ut aut in primo nexu pacis initia ferro divideret, aut Imperatorem, cum Electorali collegio, loco moveret.

Imperatoris & Electorum constantia. Sed nunquam magis Germana gravitas, constantia, virtus, & animosæ Gentis spiritus, quam hoc casu patuit: & unde Banerius felicitatis initium calculaverat, ruina fuit. Cæsar enim, cum Principibus, nihil moveri, & impetus externi Ducis, velut turbinem, in exitium sui, ad modicum gyrantem, interpretatus, non omisit urbem, unde, pro tunc, in omnia regimen.

Quia

Quin immo fatalis Svecici Generalis præſumptio, in majorem ſecuritatem ultro adducta eſt, & permiſſæ, trans Danubium, vaſtationes, diſpendium acceleraturæ. Cæſariani enim & Bavarici, cis fluvium, univerſis legionibus conveniebant, neſcio hoſte, cum frequens & copioſa glacies, navigationem, tranſitum, & exploratores arceret. *Banerius in ſecuritatem adducitur.*

Hinc & aliud apud Svecos malum, quod Vinarienſes, ſtativorum ſimultatibus alienati, & in Franconiam regreſſi, ſuis ſeorſim victorijs & fortunæ incumberent. Nec Banerius, imminentis mali parum providus, aut quod etiam, quæ fato imminent, non vitentur, magni exiſtimavit; cum ſolus ſibi ſufficere in Cæſarem videretur. *Vinarienſes à Banerio diſcedunt.*

Interim Cæſariani, glacie nonnihil lapſa, tribus pontibus Danubium ſubjugantes, ſummo ſilentio, & agglomeratis paſſibus, in Svecos effundebantur. His autem, omnium ignaris, quia ſegregatis copijs oppreſſi erant, non arma, non ordo, non conſilium erat: ſed pecorum in modum, trahi, occidi, capi. Infenſusq; miles, memoria præſumptionis, ſe quisq; ſanguine & ultione explebat. *Cæſariani ſubito in Svecos.*

Slangius cum octo legionibus capitur Anno 1641. 20. Martij. Ericus Slangius Tribunus, quatuor Svecorum millibus, ad Banerium se fuga recipere conabatur, sed à Gelenio fortiter repulsus, in Neoburgo oppido ab sylvam, cum universis copijs obsessus, & tandem, ab Archiduce Leopoldo Guilielmo, ferro humiliatus, cum Carolo Magno Marchione Dulaceno Tribunis quatuor, equitum præfectis viginti tribus, sex & viginti equitum, peditum vexillis aliquot, & quatuor equorum millibus, in manus venit.

Bannerius magna consternatione fugit. Banerius interim, vel ad auditam Slangij obsidionem, relicto Chamio, præcipiti fuga, per Bohemiæ sylvas & montes, Swickoviam accelerabat; tanta consternatione suorum, ut deleri, cum universo exercitu, potuisse, nisi obsidio Slangij ad biduum Cæsarianos distraxisset, utrisq; in partibus percrebuerit. Adeoq; ruina unius alterius conservatio erat.

Quanto cum periculo. Verum-enimvero ne sic quidem sine periculo fuit. Gelenius enim, post Slangium humiliatum, cum equitatus robore à tergo, cum pedite Picolominius, notis viarum compendijs, à fronte imminebat. Et dubio procul factum erat, si vel media

hora

hora citius, ad Priesenitziam, aditum Picolominius præoccupasset. Quippe tantilli temporis spatio prævenisse exercitui Svecico saluti fuit, & Banerius, qui cingi potuerat, evasit.

Cæterum non ideo detrimentum omne, imo & sibi exitium imminens evitavit. Si quos enim imbellis sexus, aut fessa ætas, aut præcipitium fugæ, ad modicum detinuerat, à Cæsarianis oppressi sunt, & ipse aliquandiu fortunatissimæ temeritatis miles, Johannes Banerius, è nimia insperatæ rei consternatione turbatus, in mærorem, nauseam, & non unam infirmitatem incidit, & ad extremum, in continuis exercitus sui fugis, misere diem clausit; cum diebus aliquot Georgius Luneburgicus præcessisset.

Banerij & Georgij Luneburgici mors. Mens. April.

Attamen ejus mors diu à Svecis & confæderatis omnibus dissimulata fuit. Nam & medici, diebus singulis, velut ægrotantis cubiculum frequentabant: Militarem tesseram, tanquam ex ore & contubernio ejus, Generales hauriebant: & ostio, patiens & infelix hominum genus, à pedibus assistebant. Verbo. Quasi

Banerij mors dissimulatur.

ad imaginem veri scenæ facies omnis instruebatur. Interim summa rei, penes Wittenbergium, Vrangelium, Phulium, Generales Vigiliarum Magistros, & quasi Triumviros, erat: penes quos, postquam & de morte Banerij constitit, aliquanto tempore directio perseveravit.

Sveci Halberstadium se recipiunt. Interim Cæsariani, ne hujus tam celebris victoriæ fructu fraudarentur, recedentium confœderatorum terga sequebantur. Et quamvis hi Vinariensibus iterum juncti, relicta Misnia, Salam fluvium, jugiter imminentibus Cæsarianis objicerent, non tamen impetum horum tardaverunt. Picolominius enim, ad Berenburgum strato ponte, subito in adversam ripam emersit; eâ hostium suorum formidine, ut, relictis Hallis, Weissenfelsia, Merseburgo, alijsq; oppidis, Halberstadium trepida se fuga reciperent.

Saxo Zwickoviam recuperat. 18 Iunij. Itaq; Elector Saxo, ut tandem in totum suas iterum sibi ditiones assereret, Zwickoviam obsedit, &, nequicquam generose defendentibus se præsidiarijs, tandem, tractu temporis, expugnavit.

At jam Archidux Leopoldus Guilielmus,

hielmus, cum legionibus aliquot, in *Archidu-*
Cæsariana castra advenerat, & coa- *cis*
ctis nonnihil in gyrum copijs, vasta- *conatus*
tiones, hostilia, clades, & cætera mi- *irritus.*
litiæ mala, in Luneburgenses &
Bruswicenses inhibuerat; si forte,
post Georgij Ducis obitum, pæni-
tentia ducerentur; adeoq; Sveci, re-
gionibus illis exclusi, & omni subsi-
dio destituti, in manus caderent. Sed
frustra omnia: quippe in facie Cæsa-
riani exercitus, se Svecis & Vinari-
ensibus conjunxerunt.

Ubi ergo lenia nil valuere, vetera *Sveci*
redierunt. Sed confœderati, ne sic *ad a-*
quidem aciem ausi, Halberstadio *ciem*
quoq; relicto, ad unam Guelphonis *Guel-*
arcem, hucusque Luneburgico mili- *phonis*
te obsidione clausam una in castra U- *sequun-*
niversi recessere. Sed Archidux & *tur.*
Picolominius, à tergo sequebantur &
in arcem Guelphonis jam libera via,
unis in castris hostes aggredi præ-
sumpserunt.

Bavaricis sinistrum cornu obvene- *Eorum*
rat, Cæsarianis dextrum, & à tergo *castra*
delecti equites, cumulus prosperis, *oppu-*
aut subsidium laborantibus, duceban- *gnat.*
tur. Utrimque pudor utrimq; glo- *29. Iun.*
ria, & diversæ exhortationes facie-

bant animos. Sic prælium tota die varium, anceps, atrox, his, rursus illis, exitiabile.

Bavarici militis cōstantia. Mira confœderatis Bavarici militis, qui liberius ad oppugnationem venerat; constantia videbatur. In hunc enim licet Confœderati exercituum suorum robore verterentur, & crucis in modum tormentis bellicis detonarent, non ideo tamen, vel gradū loco moverunt. Adeoque hac parte sævitum potius quam pugnatum.

Cæsariani militis conatꝰ. A Cæsarianis pari generositate quidem, sed, pro genio loci, arctius pugnatum. Cum enim, angustijs viarum conflictati, denso agmine, in hostium munitiones irruerent, certo ictui magis patebant; & laborabat, suo ipsiusmet nisu, compressa virtus.

Picolominij virtus irrita. Nullum, in eo casu, Picolominius, constantis Ducis, aut fortissimi militis, officium omisit, occursans paventibus, retinens cedentes, &, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce, insignis hosti, conspicuus suis. Sed frustra omnia. Confœderati enim in munitionibus suis constantissime perseveraverunt, eatenus victores, quatenus castris moveri non poterant.

Satis alias constitit, duobus milli-

bus hinc inde cæsis, æquali prope damno, & jactura militum, pugnatum fuisse, &, ab utraque parte desideratis aliquot primorum ordinum centurionibus, abrepta quædam signa.

Damnum utriusque partis.

Cæterum ubique varia, hoc de concursu, fama fuit, his & illis, pro affectus placito, exaggerantibus, extenuantibus, supra, vel infra verum. Quin immo inventi sunt confœderatorum partibus addictiores, qui Archiducem & Picolominium fugientes, partem maximam exercitus trucidatam, & centum quinquaginta militaria signa Cæsarianis erepta, constanti asseveratione non erubescerent. *Adeo maxima quæque* (ut Taciti verbis utar) *ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita, pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliscit utrumque posteritate.* Sed nos ad rei seriem revertamur.

Fama varia de hoc concursu.

Arhidux & Picolominius, ut nihil proficere se viderunt, receptui cecinere, &, per arcem Guelphonis, Ad Halberstadium, in priora castra revertebantur; quieti, ad modicum, intentique, si quando hostis, munitiones deserens, imprudentia rueret. Adeoque, quod loco sapientiæ est,

Cæsariani Halberstadium recipiunt.

alienam ſtultitiam opperiebantur. Hinc & vaſtati agri, & excurſiones liberiores, & prædæ paſſim auctæ. Sed confœderati, quamvis & Haſſico milite, Comite Eberſtenio Duce, erigerentur, nihil moveri, tantum ad intumeſcentiam aquæ intenti.

Archidux confœderatis penu claudit Men: Aug:

Itaque Archidux, ad alia verſus, ſtatuit hoſtem, undique intercluſis aditibus, inopia commeatuum debellare. Ad hoc vicina omnia, Hornburgum, Oſterwicam, Goſlariam, Sladam, Liebenburgum, & alia oppida, unde ad vitam neceſſaria potiſſimum ſuppetebant, qua vi, qua deditione, in poteſtatem redegit; adeoque jam ea parte penu clauſit. Hinc nonnulli, tractu temporis, confœderatis exitium, & arcem Guelphonis lapidem offenſionis ominantur.

FLORI GERMANICI
LIBER QUARTUS.
CORONATIO FERDINANDI. III. IN REGEM ROMANORUM, & obitus Ferdinandi Secundi.

SAcratiſſimus invictiſſimusque Romanorum Imperator, Cæſar, Ferdinan-

dinandus II. Semper Augustus (Saxone & Brandenburgico Electoribus, pacificatione Pragensi, ad Imperatorem rursus accedentibus) generalia Imperiij Comitia, ob multas rationes, necessaria judicabat. Tum vel maxime, quia & senio variaque fortuna debilitatus, successorem videre anhelabat, cui gravissimum Imperij aliqualiter onus vivens imponeret.

Itaque Comitia, ut alias sæpe, iterum Ratisponæ indicta. Et, ne quid vel hostes de solito intermissum quererentur, Trevirensem Electorem è Belgio, multis aureorum millibus, in itineris sumptus, instructum, in Austriam evocavit. Sed à sublimi Electorum collegio admissus non est. *Comitia Ratisponæ.*

Verum enim vero Ratisponæ præsentibus Imperij Electoribus, serenissimi Poloniæ Sveciæque Regis Vladislai IV. Legatus extraordinarius, Georgius Ossolinius, S.R. Imp: Princeps, Comes in Theczyn &c. (Vir, quem Anglia suspexit, Roma mirata est, Venetiæ laudaverunt, Germania venerabatur) Regis sui nomine, Ferdinandi. III. Hungariæ Bohemiæque Regis electionem suasit; ut qui Imperium meruisse fortitudine videretur. *Poloniæ Regis legatus, Ferd: III. electionem suadet.*

 Sed

Sed quid attinet elegantissima oratione, tam avide hucusq; desideratam, præsertim quia laconismum meum non excedit, hoc opusculum meum exornare? Ita dixit.

Credidisset Orbis, magni Principes, legati Illustrissimi, Vladislaum Poloniæ & Sveciæ Regem potentissimum, pace domi forisq; parta, auctis prolatisq; Regni terminis, Amurathe sola armorum ostentatione ad petendam pacem compulso, & metas Ottomannici Imperij, quas nec solis cursu olim declarari volebat, Vladislai placito terminante, altum quiescere, & tot laborum, sudorum, vigiliarum, victoriarumque trophæis, incubare. Sed longe aliter accidit. Generis humani bono cælitus datus animus proprijs Commodis nequaquam acquiescit, sed suæ prosperitatis nisi Orbem participem viderit, haut putat laborum fructus maturuisse Videt Christianorum nomen & gloriam consanguineis fœdari armis. Prospicit ex illa, cui Polonorum Regum thronus superimpositus, altissima Orbis Christiani specula, imminentem ab Oriente procellam, discordijs Regum Principumq; Christianorum excitam. Intuetur miserandum in modum discepti, florentissimi olim, Hungariæ Re-

gni

gni reliquias, proluendo gutturi insatia-
bilis Ottomannicæ belluæ destinatas.
Hæc omnia dum penitius considerat, a-
micissimi Regis, vicinæq; gentis, discri-
mine excitatur, & , quid in rem futu-
rum sit, sublimi Regiæ mentis cogitatio-
ne perpendit; opportune nuntiatur. S.
R. Im: Electores Principes, hac in urbe,
conventum, more majorum, celebratu-
ros, consulturosq; Orbi, & tanti periculi
metu consternatam Rempub. erecturos.
Ingenti perfusus lætitia, me quantoci-
us advolare huc voluit, & suo nomine
Serenitatum Celsitudinumq; vestrarum
conatibus gratulari, in sublevandis Ro-
mani Imperij, reliquorumq; Regnorum
rebus, consilium communicare, operam
offerre, affectum deniq; & sollicitudinem
tanto Principe dignam declarare. Ea
nimirum est. Sac. Reg. Maj. ditionum
cum Imperio Romano eique annexis
Provincijs, conjunctio, ea negotiorum &
commerciorum communicatio, ea de-
mum perculosissimæ vicinitatis cum hoste
omnium potentissimo ratio, ut utramq;
sceptrorum Cæs: Maj. fortunam ad se
jure arbitretur pertinere. Quamobrem
de restituenda Germaniæ, tot tantisque
bellorum procellis attritæ, pace & tran-
quillitate, ab eo die quo Polonæ gentis li-

beris suffragijs Rex appellatus, semper se sollicitum declaravit, nec ullam prætermisit eius revocandæ occasionem. Sed generosus ille Germanicæ gentis spiritus, quamvis cum dispendio rerum fortunarumq; suarum, noluit hactenus dum externi hostes in ipsis Germaniæ visceribus grassabantur, pacis mentionem admittere, ne se victum & ad eam petendam, inter cæsorum concivium busta, fateretur compulsum. Nunc vero cum nonnullorum vires ad contemnendas redegerit reliquias, cæteras ultra Germaniæ limites facessere coegerit, sperat Regia Majestas tanto promptiorem ad pacem amplectendam fore, quanto gloriosius est prosperis rebus non magis insolescere quam adversis frangi. Repetit ergo toties declaratum pacis in Imperio stabiliendæ studium, suamque operam & conatus se interpositurum luculentissime pollicetur. Sperat porro serenitates celsitudinesq; vestras, tam præsentes, quam per illustrissimos hos legatos intervenientes, non modo Sacræ Cæsar: Majest: pientissimum animum precibus suis inclinaturas, quo eum communis boni studio ultro propendere constat, sed & proprijs conatibus in hoc tam expetendo negotio cooperaturas. Efflagitant hoc afflictæ ple-

 beculæ

beculæ cælum petentes lachrymæ, attritæ nobilitatis vires, provinciarum solitudo, agrorum vastitas, urbium oppidorumq; ruina, uno verbo, ipsa, quam in Germania vix repereris, Germania. Deposcit jure suo periculum ab immanissimo Christiani nominis hoste imminens, cujus arma quamcunque Europæ partem petierint, stolidus ille foret & impius qui communi non commoveretur discrimine. Exigit denique pietas ut tandem à fundendo Christiano sanguine, quem totæ, proh dolor, hauserunt & nunc hauriunt provinciæ, desistatur, &, si porro fundendus est, contra illius hostes pugnando fundatur qui suum nostræ fudit saluti. Sed dum Sac. Regiæ Maj. Dominus meus clementissimus rationes tam stabiliendæ in Imperio Romano pacis, quam publicæ gentium securitatis ponderat, agnoscit judicatque neutrum firmum fore, nisi electo ac declarato, hoc serenitatum Celsitudinumq; vestrarum conventu, Romanorum Rege, & vergentis in senectam Sac. Cæs. Maj. Imperij consorte. Neq; vero hâc tam sublimi dignitate in quemvis collata consultum iri Reipublicæ Christianæ arbitratur: Sed unum esse serenissimum ac potentissimum Hungariæ, Bohemiæque Regem, cujus

capiti impositum Romano: Reg. diadema publicam posset salutem firmare. Quis enim non concedet sapientissime Majores Serenitatum Celsitudinumq; vestrarum egisse, dum Romani Imperij habenas jam quintum ijsdem crediderunt moderandas, qui oppressum Turcica tyrannide Pannonum Regnum gubernarunt: nempe exhaustas & deficientes illius Regni Vires, quibus tamen velut propugnaculo Imperium Romanum protegitur, non divellendas esse à Germaniæ vinculo judicarunt, ne separatæ hostili obijcerentur potentiæ, extinctæ vero Germanicis provincijs eas afferrent calamitates quas à tot annis deploranda sustinet Hungaria. Quanto magis idem considerandum hoc tempore, cum Turcarum Tyrannus ab immensa Divinæ Majestatis bonitate, fervente Christianorum bello, alligatis (ut pueri ludentes solent) oculis, per varios Orientis hucusque circumductus angulos, occidentem tandem respicit, forsitan eadem manu (ob sacra sua Christianorum manibus polluta) reflectente, & unionem nostram communis hostis metu procurante. Hunc vero à cervicibus tot Regnorum depellere, & incendium in aliena potius Domo extinguere, quam in propria operiri, erit summæ gloriæ & celebratæ

celebratæ hujus augusti Collegij prudentiæ. Conducet absq; dubio & ad præsens pacis restaurandæ propositum, si, ardentibus undiq; flammis, subtrahantur alimenta, ambitionis scintillis obnoxia. Hisce de causis Sac. Reg. Maj. Dominus meus clementissimus, serenissimo Hungariæ Bohemiæque Regi Fratri suo amantissimo, Romanorum Regis coronam, votis suffragijsq; Serenitatũ Celsitudinumque vestrarum, deferri summopere desiderat, enixe postulat, neque de Serenitatum Celsitudinumque vestrarum affectu non solum erga Serenissimum prædictum Regem, sed & universalem Christianarum gentium securitatem dubitat. Accedunt huic Regiæ petitionis suffragio innumera Augustissimæ Austriacorum Domus merita, plurima in familias subditorum Principum collata beneficia, Sac. Cæsa. Maj. pro integritate & juribus Imperij Romani exantlati labores, & vel hostium vocibus prædicata paterna in omnes, divinaq; duntaxat minor clementia. Succedunt propriæ Serenissimi Hungariæ & Bohemiæ Regis virtutes, quas priusne florentes an maturas Orbis viderit dubito, ita in ipso flore fructus præbuerunt copiosissimos. Hujus urbis murorum & propugnaculorum hiantes

cicatrices,

cicatrices, quid aliud ſpirant quam invictam victoris mentem, uni clementiæ ſubjectam? Nordlinganæ vero memoria victoriæ tum demũ deficiet cum Danubiᵘˢ Alpes repetet, & Euxini aquas in proprios referet fontes. Explicare veterani Ducis, quem ſibi circumdederat, urbium Germanicarum nodum, & paucorum menſium ſpatio totum Suecicarum Victoriarum iter relegere, ſoli Ferdinando. III. Fata conceſſerunt, cujus gloriæ ſubſternenda hoſtium trophæa tam diu conſervarunt. Ergo Sereniſſimi Principes voſq; legati Illuſtriſſimi Scipionis hujus veſtri Germanici capiti debitam lauream imponite, ac triennio victoriarum tertia corona ornate; immo in uno Ferdinando omnes pene Regum Principumq; familias ei aut conſanguinitate aut affinitate junctas, coronate. Sereniſſimi vero Regis mei, pro incolumitate Chriſtianæ Reipublicæ in extrema excubantis ſtatione laboribus, vigilŷs, vitæ ipſius periculis, hoc unum ſolamen præbete, ut eum veſtris judiciis veſtris ſuffragŷs, in ſublimi Romani Regni throno collocatum videat, quem ſibi Deus non ſolum ſanguinis & amoris conjunctione fratrem, ſed & communium pro Chriſtianis periculorum laborumq; conſortem deſtinavit.

Efficax

Efficax oratio erat & locum habuit, unanimique Electorum consensu libere solenniterque Ferdinandus. III. Hungariæ Bohemiæque Rex, in Romanorum Regem electus est. *Ferd. III. Rom: Rex eligitur Anno 1636. 22. Decē.*

Interim omnia ad festivam coronationem præparabantur, ad quam tota Germania, tota Europa Principes, Comites, nobilesque confluebant; tam Germaniæ visuri victorem quam coronari Romanorum Regem.

Et jam illuxerat sacratissimo Ferdinando patri successorem, invictissimo Ferdinando filio Imperium, multis Regibus lætitiam, quibusdam livorem paritura dies; & cum serena esset, favere cælum, & applaudere ipsa rerum natura videbatur.

Tum ille Ferdinandus, ille hostium debellator & terror, ille Magni parentis magnus filius, maximi Regis summus socer, à serenissimo Septemvirorum collegio, sacratissimo prosequente Imperatore, in Metropolitanam Ecclesiam, sub aureo argenteoque cælo ductus, coronam, gladium, pomum aureum, Romanique Regni sceptrum, recepto Imperij more, inenerrabili quadam solennitate fortunatus accepit. *Coronatur. 30 Dec.*

Tum

Solennitates post coronationem.

Tum à numerosissimo, qui Vastæ Regioni sufficeret, populo, illæ congratulatoriæ voces (quas & nos quotidie jugiter cum affectu repetimus) *Vivat Ferdinandus III. Romanorum Rex.* Tum omnium colorum pretiosissimi lacerati panni. Tum copiosum artificiosis fontibus, sub dio vinum fluxit. Tum grandis Hungaricus, vituli, porcorum, quadrupedum, alitumque prægnans, assatus bos, in minutissimas à populo partes scissus, & comestus. Tum maximus avenæ cumulus à volentibus ablatus. Et, quod gratissimum vulgo erat, aurei argenteique nummi, per omnes regiones urbis, liberaliter sparsi.

Imperatrix coronatur. Anno 1637. 21 Ian.

Non multis diebus post, Hungariæ Behemiæq; Regina Maria, gratissima Romanorum Regi Consors, æquali fere magnificentia & plausu, in Romanorum Reginam coronata fuit.

Mira providentia Dei.

Mira autem providentia Dei, mira Cæsaris fuit. Non ipsos, post coronationem filij, duos menses Pater supervixit. Quantum enim periculum fuisset ante pacificationem Pragensem obijsse? cum scissum Imperium, scissi Electores, & in partes tracta Germania erat? Sursum omnia & deorsum

verti, universam Europam, totumq; terrarum Orbem misceri, omnino contigisset.

Iam vero quid aliud judicemus, quam Austriacam adeo Deo Domum Cælitibusq; gratam: quam sacratissimi Ferdinandi. II. pietatem, clementiam, reliquasq; virtutes, adeo acceptabiles fuisse; ut Illi è sua familia, jam victrici & Septemviris universis unita, membrum, Imperiali aquila decoratum; Huic ex utero suo filium, Romanorum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæq; Regem, debellatis fere hostibus, videre permiserint, quem omnes mox boni Cæsarem gratularentur. Magnum mehercule donum, quod mirabitur quisquis inspexerit.

Cæterum sacratissimus Imperator Ferdinandus. II. tot bellorum motibus, tot periculis cladibusque suis superior, cujus in posteros grandior erat, mutatione toties fortunæ, fama, toto fore biennio, & maxime in ipsis Ratisponæ comitijs valetudinarius, tandem, omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis munitus, pijssime spiritum Viennæ exhalavit: Ætatis suæ Anno LIX. Imperij XVIII. omnium piorum desiderio post se relicto; ut qui

Ferdinandus II. moritur. Anno 1637. 25 Feb.

qui Catholicæ fidei fuerit propugnator acerrimus, justitiæ observator severus, clementia divina duntaxat minor: post Carolos, Magnum & Quintum, Imperatorum maximus. Hoc ipso felicissimus, quod Imperium Romanum, quod hæreditarias omnes suas ditiones, Ferdinandus ipse Ferdinando reliquerit, meritissimi Patris omniumque Provinciarum hæreditate dignissimo filio, cunctarum paternarum virtutum æmulo; qui Imperium, se vivente, meruerit, & filios filiorum feliciter videre fecerit.

BELLUM FRANCICUM.

Qui & unde Franci. FRanci, sive Sicambri, Germania oriundi, olim Franconia sedibusque suis profecti, Bataviam prius, inde, superato Rheno, innumerabili multitudine Gallias inundaverunt, debellatisq; Romanis, universas occupavere.

Fiunt Christiani. Sub Clodoveo tandem Christianismo imbuti.

Mites sua colla Sicambri

(ut cum Sancto Remigio loquar)

Deposuere.

Et sacro baptismate corpore tacti, animâ abluti, omni paulatim virtutum genere, pressam corpore generositatem,

rositatem, temperavere; adeout Primogenti Ecclesiæ filij nominari mererentur, eorumque Reges sublimem Christianissimi titulum virtutibus suis extorserint.

Itaque mox prosperitas, victoriæ, triumphi, pietatē sequebantur Sic ut tota se ad nutum Christiani dogmatis sectatorum flexisse fortuna videretur; adeoq; sub Carolo Magno, devictis Romanæ sedis hostibus Longobardis Italiam: debellatis Christianismo infensis Saracenis, Hispaniæ partem: domitis paganismo inhærentibus Alemannis, Germaniam sibi adjunxerint: immo Romanum Imperium totum in Gallias traxerint. *Varia Regna subjugant. R.man: Imp: in Gallias trahūt.*

Paulatim vero Germanica illa virtus, constantia, simplicitas, fides, in Gallicos mores degeneravit, & Franci in Gallos degeneraverunt; sicut aquila detestata degeneres, cum Romanas verè Germanicasq; virtutes sectaretur, in ipsa Germania nidum strueret. *Degenerant. Rom: Imp: ad Germā: transfertur.*

Itaque livor & ambitio Franco-Gallos invasit, & paulatim sinistro oculo, à quibus originem traxerant, imperantes Germanos intuebantur; præsertim Fortunâ Imperium Romanum, *Imperio insidiantur.*

num, varia Europæ Indiarumq; Regna, in unam Austriacam Domum collocante. Sic ut sera pænitentia, quod tam facile aquilam à se, ad Germanos, avolare permiserint, omnino subierit; adeoque diversis temporibus, nescio quibus non retibus, Reginæ volucrium insidiarentur.

Suspecta eorũ fœdera, Hoc sub Francisco. I. alijsque Regibus, & jam vel maxime, debellatis Hugenottis hæreticis, sub Christianissimo Rege suo Ludovico XIII. Et primo quidem suspectis fœderibus, per Hæreticorum aliorumq; Regum latera.

Ambitio. Ut autem ad apertum paulatim bellum via fieret, tituli quærebantur. Vulgatis itaque libris, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Pannoniam, quia olim sub Carolo Magno habuerant, ut sua repetebant. Hoc autem longe petitum erat, & totam fere Europam vendicare, totam confundere; non parum indignante Cæsare & Hispano Rege.

Trevir: Elect: in tutelam re- Inde, urgente Germaniam Gustavo Adolpho, cui fœdere juncti erant, Electorem Trevirensem, per Galliam Archicancellarium, Provinciam, ne debellaretur, imo ut debellaretur, traden-

tradentem, in suam tutelam recepere, & munitissimam toto Orbe Ernberti Petram suæ gentis præsidio firmave-runt.

cipiunt Anno 1633. 5 Iunij.

Carolum Lotharingiæ Ducem, sæpius Imperio & Imperatori subvenire nitentem, omnino debellarunt, totam Lotharingiam Franciæ Regno conjungentes. Sed hic ratione Barrensis Ducatus nonnihil illorum Regi obligatus ferebatur; certe ab armis adhuc temperatum est.

Lotharingiæ Ducem debellant.

Donec tandem Sveci, gravissimo ad Nordlingam accepto vulnere, si in Imperio stare volebant, aliorum subsidio indigerent. Tum Franci, rupta omni cum Austriaca Domo societate, Bernardum Saxo Vinariæ Ducem, à prælio profugum, sibi legavere, & omnia in Palatinatu, Moguntiæ Electoratu, & ad Rhenum loca, Svecico præsidio firmata, auri milliones stipulati, sibi vendicavere.

Imperij provincias vendicant.

Sumpta ergo necessario ab Austriaca Domo in Francos arma, Saxone etiam pro Imperio, constituta cum Cæsare pace, in ultionem indignante. Itaque mox in omni parte arma, & in Germania, & in Belgio, & in Hispania, & in Italia; in qua Sabaudiæ &

Arma utrinque expediuntur.

Parmæ

Parmæ Duces suarum partium fecere, & expedire iterú, quæ ægre posita nuper erant, arma incitaverunt. Et quamvis in Germania quoque Batavos, & Landgravium Hassiæ, & Svecos pro se haberent, tamen omnia statim Mandrabuli more succedebant.

Udenhemiū à Cæsarianis intercipitur. Anno 1635. 24 Ian.

Et Trevirensis quidem Elector, qui primus in Imperio Gallicus fuerat, ita adgubernante fortuna, primus pœnas dedit. Udenhemium, seu Philipsburgum, in eius ditione, à Svecis nuper fama fractum & occupatum, Galli sedem belli elegerant: hinc tantum annonæ hic quantum laxæ satis regioni sufficeret. Hoc Galli, loci fiducia, negligentius custodiebant. Animadvertit Gaspar Bambergius, sub Cæsarianis nuper ejus loci præfectus, & fidelissimos sibi milites, rusticorum instar vestiens, ligna & annonam in urbem comportare jussit. Faciunt illi hoc caute ut erat imperatum. Sic triginta ingressis, ex improviso, noctu, concretas glacie fossas vallumq; superans, vigiles trucidavit. Tum illi urbe clausi milites, malleis securibusq; portas aperientes, centum levioris armaturæ equites introduxerunt. Hos reliquæ mox copiæ seque-

sequebantur: Tum in præsidiarios irruentes, Gallos mille quingentos jugulaverunt, & munitissimum illum, sine sanguine, locum recuperarunt.

Non facile dictu est quæ ibi bellicarum rerum copia, quæ annonæ fuerit. Centum viginti octo machinæ grandes, quadraginta millia nitrato pulvere plena vasa, vigesies centena coronatorum millia in stipendia militum destinata, ter centena frugû plena saccorum millia, duodecim millia modiorû salis, centum millia modiorum tritici, & farinæ totidem, unico in oppido Austriacis cesserunt: nec parum, hoc damno, Francica enervata militia est.

Quantum in illo pecuniarum & provisionum.

Perculit repentino malo Trevirensem Electorem fortuna; mox transtulit. Generosus Embdanus Comes, Luntzenburgici Ducatus Gubernator, ut Gallos Treviris annona laborare, & navigia frumento plena exspectare didicit, audendum aliquid ratus, naves armatis millibus plenas, alboque velo tectas, prona Mosella ad urbem navigare fecit. Trevirenses, annonarias suas rates esse putantes, ad urbem appellere permiserunt.

Embdani Comitis. Strata-gema.

Mox erumpentes milites, portis

ferro

Trevi-ros & Electorē Trevirensem capit. 26 Mart.

ferro reseratis, in urbem Gallosque ruunt, obvios trucidant, aliaque porta duo millia equitum recipiunt. Electorem in suo Palatio, nihil tale suspicantem, aggrediuntur, &, aliquam diu custoditum, Bruxellas, inde Gandavum, captivum abduxerunt; tali tamen honore, ut, si præsidium excipias, nihil de statu imminutum videretur. Hoc sic, imperante Serenissimo Ferdinando Cardinale & Hispaniarum Infante, liberaliter fiebat.

Hic jam, Superis faventibus, per tot maris terræque spatia, pericula, difficultates: per Italiam amicam & faventem cum honore, per Germaniam inimicam & rebellem cum victoria, in Belgium, quasi suum, cum triumpho venerat, fidis fratri suo Provincijs futurus caput.

Et jam sub maximi optimiq; Principis Majestate: sub æquissimi fortissimique Gubernatoris & militis tutela veluti scuto: sub prudentissimæ, cum gravitate & facilitate quadam, moderationis umbra, populi jugiter requiescebant.

Non tulit insolitam hanc in Belgicas Provincias optimumque Principem Fortuna Superum indulgentiā, jam

jam olim integerrimos quosque consueta lacessere. Itaque & á meridie Chastillonius & Bresæus, & à septentrione Auraicus Batavique magnis viribus, veterano milite, numerosis exercitibus, summoque apparatu veniebant.

Et initia statim hostibus prosperiora fuerunt. A Francis siquidem (qui sub Principe Thoma, serenissimi Sabaudiæ Ducis fratre, tanquam obex objectus erat) disruptus dissipatusq; est Hispanicarum copiarum nucleus; cum prope Namucum, duobus millibus trucidatis, Feriæ Dux, Alfonsus Ladronius, & Marchio Sfondrato, Tribuni, cũ quinquaginta sex militaribus signis, tormentis septendecim, magnoque bellico apparatu, in captivitatem raperentur. Qui tamen, non multo post, Trajecti ad Mosam, stratagemate carcerem evaserunt.

Franci ad Namurcũ Hispanos cadunt. 20. Maij.

Inde conjuncti duo magni exercitus, uno animo, uno consilio, unoque impetu, ambitione jam dudum devoratas, introiere Provincias. Cessit numerositati hostium, ferociæ, & adversantis fortunæ jaculis Ferdinandus, relictisque primis castris, sub ipsis Lovaniensibus portis, secundis

Cũ Batavis in Brabãtiam movens

consedit, tandemque (traductis alteram in partem urbis exercitu) tertijs sese communivit.

Interim hostes in unas Thenas totis viribus ferebantur, & Hæ quidem (licet pacisci volentes) plus quam Saguntina rabie delectæ sunt; tam fœda clade, ut miles, arma, furor, crudelitas, libido, sacrilegia, & in uno compendio universa flagitia, in exitium unius infelicis oppidi, conspirasse videantur. Adeoque de Thenis verissima sunt, quæ de Cremona Tacitus. Sexaginta armatorum millia irrupere, calonum Lixarumq; amplior numerus, & in libidinem ac sævitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus stupra cædibus, cædes stupris miscerentur. Grandævos, senes, exacta ætate fœminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona, sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque Dominorum

Franci & Batavi Thenas expugnant. 9 Iunij.

Eorum crudelitas & sævitia.

minorum

minorum, abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus: quas, ubi prædam egesserant, in vacuas domos, & inania templa, per lasciviam jaculabantur. Utque exercitu vario, linguis, moribus, cui & Angli, Scoti, Batavi, Galli, alijque interessent, diversæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quicquam illicitum. Et hunc quidem exitum Thenæ habuerunt.

Progrediuntur deinde Luxuria enervati (nihil enim ultra valuere) sceleribusque suis jam debellati exercitus, ubique insolentiæ & barbariei suæ relinquentes vestigia. Et jam omen erat non fore ipsorum Provincias, quas non ut suas, sed tanquam perpetuo mansuras hostiles, tam misere devastarent. *Omnia vastāt.*

At quatuor pontibus unita Dilia, in ulteriorem ripam, vix sentiente Cardinale jam evaserant. Relicto itaque Lovanij sufficienti præsidio, Vilvordiam inter & Bruxellas, quartis castris concessit. Relictum Lovanium, sicut Thenæ, hostibus videbatur: placuit ergo hoc invadere ne quid hostile à tergo relinqueretur. *Lovaniū obsident.*

Hic paulum circumacta fortuna est: undecim enim diebus incassum *Fame & ferro*

 obsidione

premũ-tur. obſidione conſumptis, & fame, & recentibus (quæ ſub Picolominio & Iſolanio ex Germania ad Principem Cardinalem deſcenderant) Cæſarianorum ſubſidijs premebantur.

Lovanium deſerunt. 4. Iulÿ. Igitur & Auraicus Fredericus Henricus, & Chaſtilloniꝰ, & Breſæus (quibus paulo ante nulli, niſi cælo venturi, hoſtes noxij fore videbãtur) ſilentio noctis convaſatis omnibus, relicta urbe, ultra Diliam feſtinatis agminibus retrocedebant. Et Ferdinandus Cardinalis Infans, ad victoriam exurgens, ipſos hoſtes, quaſi pecora ex alienis paſcuis, ultra Moſam abigebat.

Fortalitium Schenkianum intercipitur. 28. Iulÿ. Nec ſtetit hic fortunæ diverſitas, ſentire damna Batavi debebant quæ Brabantis intulerant. Itaque fortalitium Schenkianum, inexpugnabilis fere munitio (nihil tale mutuentibus hoſtibus) quaſi momento intercepta eſt, & ſtatim in Bataviam, Cliviam, Geldriam (prô dolor) vis omnis deflexit, & Bataviam ſuam depopulantes Batavi, & fortalitium ſtatim iterum obſidentes, exitium ipſi ſuum facti ſunt.

Gallorũ exercitus Ille vero, quadraginta millium prius, Gallorum exercitus, varia fortuna conſumptus, & mora tandem diſſolu-

dissolutus, omnino evanuit; ut è tantis copijs vix quatuor millia in Franciam remigrarint. O quantam rerum volubilitatem! Sed hæc fortunæ constantia est constantiam nullam pati. *consumitur.*

Et hæc quidem erat rerum in Belgio facies: nec minus favorabilis, in superiori Germania, Austriacæ Domui, fortuna fuit. Spiram & Wormatiam Cæsarianis peperit, &, cum Cardinale Valettio Bernardum Saxo-Vinariensem, ad Rhenum, ignobili fugæ subjecit. *Spiram & VVormatiam Cæsariani occupant.*

Urgentibus enim eos Cæsarianis, deserto Gustaviburgo, Moguntiâ usque Mediomatrices, inter prælium semper & fugam tumultuantes, recesserunt; tanto pavore correpti, ut duo millia curruum, triginta tormenta bellica, variamq; belli suppellectilem, in itinere Cæsarianis reliquerint, &, ter mille suorum desideratis, tanta viarum spatia Svecico Franciceq; sanguine purpurarint. *Vinariensis & Valettius ex Germania fugiũt. Mens: Sept:*

Frankenthalium victoriam sequebatur, & post aliquanti temporis obsidionem, Philippo Mansfeldio Comiti, Cæsario Generali, deditionem fecit. Frankenthalium Moguntiam *Frankenthalium Cæsa: deditur Mogũ.*

tis.25. Decem. excipiebat, quæ cum Bingio & Ehrenfelsia, una eademq; die ad Electoris sui Anselmi Casimiri obsequium rediit.

Et jam Cæsariani, ijs in partibus, multo majora in Gallos moliebantur; indubie etiam ausuri nisi fames ferro infestior, nonnihil alio migrare docuisset.

Fames in Germania. Hæc profecto, hoc tempore, præsertim circa Rhenum, tãta fuit, quantam ullo seculo, in aliquo regno unquam fuisse, nemo legerit. Wormatiæ, Spiræ, Vicinisq; illarum urbium Locis, non unum cadaver effossum & comestum, non unus homo occisus ut comederetur. Adeoque necessarium fuit, ad singula cæmiteria vigiles excubare, qui ægre cadaveribus imminentes submovebant.

Magna mortalitas. Adde illam mortalitatem, illam tota Germania Belgioq; pestiferam contagionem, totas simul Provincias singulasq; urbes populantem. Lugduni Batavorum quadraginta millia, Roterodami viginti quinq; millia, Amsterodami triginta, & (quis credat!) Embricæ octodecim, & Noviomagi viginti millia sustulit; totaq; Germania Myriadas hominum letho dedit. Sic

Bella

Bella gerunt homines, nec minus atra DEus

Verumenimvero hisce nonnihil Divina clementia mitigatis, & contagiosa vi frigoris adustione necata, nova, cum novo anno, & primo vere, in Batavis & Brabantia belli moles.

Hollandi enim hybernis ad fortalitium Schenkianum exactis, tædio moræ prima Martij, in alteram Rheni ripam, cum exitio Hispanorum emerserant. Mox enim, munitionibus expugnatis, trajectum, aditum, & effugium omne impediverunt: & tandem in ipso fortalitio Regios eo angustiarum redegerunt, ut deditionis leges stipularentur. Ita illud inexpugnabile quodammodo munimentum, ab Hispanis, paulo ante, parvo suo commodo expugnatum, nunc à Batavis ineffabili sumptu recuperatum, ad veteres Dominos ad Hollandos redijt. *Hollandi fortalitium Schenkianum recuperant. Anno 1636. 30. Apr.*

Ferdinandus autem Cardinalis Infans, facto in Picardiam impetu, terrarum suarum, superioris anni, clades, in Francia vindicabat. Quin & oppidis & munimentis imminens, Chapelleum mille quadringentis *Cardinalis Infans in Picardiam.*

militibus præsumens, armata manu, Chastelettum vero conditionibus æquis sub jugum misit, & subinde excursionibus late terrorem dabat.

Condæus Dolam obsidet. Has clades Christianissimus Rex vindicare constituens, Condæum Principem in liberum Burgundiæ Comitatum, magno exercitu immisit, & Dolam urbem, & in illa Metropoli ut universam Burgundiam subjugaret, imperavit. Voluntas Condæi aderat, & non uno modo infestus Dolam urgebat. Et tanta erat capiundæ urbis fiducia, ut Lugdunensis Galliæ Domicellas nobiles ad vicinos montes invitaret, ut nobilissimæ urbis excidio, scilicet, recrearentur.

Deserit & fugit. 13. Iul. Displicuit fortunæ præsumptio, & Carolo Lotharingiæ Duce in subsidium movente, tantum Gallico exercitui terrorem immisit, ut annonæ, sarcinarum, tormentorum, gloriæ, nominisq; obliti, sine ordine fugerent. Sed Carolus Lotharingus, cum Austriacis à tergo infestus, plurimos jugulavit, & in hostilia castra victor reversus, cum exercitu spolia legit, magnasq; & ingentes rei tormentariæ machinas (quarum aliquæ quadra-

quadraginta quinq; pondo ferri jacularentur) abduxit. Condæus autem dissipatas copias recolligens, è viginti quinqs millium exercitu, non nisi novem millia armilustrio comperit.

Interim Cardinalis Infans in Picardia quoq; non feriabatur. Parte enim exercitus, sub Johanne de Weerdio, Gallos â fronte distinebat, alia parte, sub Thoma Sabaudiæ Principe Corbiam obsidebat. Et de Weerdius quidem quatuor desultoriorum equitum millibus, Suessionensem Comitem & Bresæum, agglomeratis passibus terrarum quædam spatia emensus, ad Hionem derepente invasit, & millibus aliquot in fugam actis, quingentis deletis, sexcentis captis, octo militaria signa, & opima spolia, ad Cardinalem Principem & Picolominium in castra retulit. *De-Weerdius Gallos cædit. 4. Aug.*

Inde iterum in hostes, & tam inopinatus tamq; feliciter, ut latissime omnia populatus, oculos trepidæ Parisiorum urbis, pulvere fumoq; impleret, & cum gloria magnaque præda in castra tamen salvus, nemine è suis amisso, victor reverteretur. *Usq; ad Parisios excurrit.*

Nec minus feliciter ad Corbiam

Sabaudiæ Princeps Corbiam expugnat. 14 Aug.

Sabaudiæ Princeps. Hoc oppidum enim crebro tormentorum vomitu fædatum, & tribus diversis in locis parte mænium humiliata, insuper & cuniculis actis, tandem ad viliora compulit, & legio integra, quæ præsidio erat, indulgentia Ducis, ad suos abivit.

Rex Galliæ in Picardiam movet.

Hisce cladibus, alijs super alias, Christianissimo Ludovico Regi nunciatis, non diu cunctatus, expeditiones amplius non mandavit, sed ipse sumpsit, & cum Cardinale Richelio, Marescallo Forcio, & quinquaginta quinque millibus in Picardiam movit, experturus an non ipse vagantem latissime per Gallias hostem è cervicibus earum submovere posset. Sed primo initio parum feliciter; cum Deweerdius, tribus selectissimorum equitum millibus, de more suo, multa terrarum spatia emensus, ad Ambianum, stationem unam obrueret, & tribus millibus trucidatis, quinq; integras legiones dissiparet, octodecim vexilla raperet, mille ducentos equos abduceret, & salvus ad Atrebatum in castra rediret.

A De Werdio damnum patitur 14. Oct.

Corbiam obsidet.

Nihilominus Christianissimus Rex, incredibili multitudine Picardiam suam

suam inundans, paulatim sua recuperabat; & tandem Corbiam, velut aditum opportuniorem, obsidione clausit.

Interim in Alsatia Ferdinandus III. exercitui adfuit, & tam gregarios milites, quam Tribunos & Centuriones, mira quadam eloquentia, ad expeditionem Gallicam animavit, & Gallassio obedire jussit: exercituiq; valedicto, Ratisponam ad comitia proficiscens, in Galliam Gallassium movere imperavit. Hic cunctari non ausus, per Burgundiam, triginta millia in Franciam infudit, tam misere illam populatus, ut, nisi pertinax fuisset, moti temere belli pœnitentia subire potuisset. Gallassius autem, ob continuas pluvias, & inundationes aquarum non diu in illa moratus, munitissimis locis præsidia disposuit, & retro in Germaniam & hyberna concessit.

Ferdin. III. exercitum in Galliam ire jubet.

Gallassius in Galliam & in hyberna.

Itaq; in Picardiam & ad Corbiam revertamur. Ad hanc enim Christianissimus Rex, varia inter molimina & insultus hostium, constantissime perseveravit. Immo ad extremum, frustra Barone de Weerdio molendina ferrea stratagematibus introducente,

Rex Galliæ Corbiã recuperat. 14 Nov.

cente, & præsidiarijs varijs eruptionibus millia conficientibus, ad obsequium suum reduxit.

Partes in hyberna secedūt

Et jam majora in invicem moliebantur, nisi anni senium cana Hyems quo ambulat scipione, frigore, pluvijs, nive, grandine, glacie, omniq; bellico suo apparatu pertinaces percussisset, & sub tecta pepulisset. Sic Christianissimus Ludovicus Rex Lutetiam Parisiorum: Cardinalis Infans Bruxellas: Picolominius in superiorem Germaniam: Johannes De Werdius in Ubios, moverunt.

De Weeerdius Ernberti petram urget.

Et hic quidem famosam toto orbe Ernberti Petram, secundo jam anno obsessam, & centenos equos, urgente fame, devorantem, arctius obsidione clausit, erumpendi facultatem sustulit, equos abducere non permisit; adeoq; ad nefandos paulatim cibos esurientes compulit.

Huic subsidium præparatur.

Itaq; tota Germania munitissimo castro in Belgio subsidia præparabantur. Batavi consilium & currus, Galli aurum & sumptus, Hassi milites & turmas expeditioni impendebant. Ita Wesaliâ quinquaginta curribus & carris, undecim equitum turmis, sexcentis sclopetarijs, Batavi,

vi, Hassi, Franci, simul in Imperium ascendebant.

Sed qualis erat Generalis De Weerdius, ad nnntiũm rei, felicissimæ temeritatis! Hic adulta jam nocte, non nisi octoginta equitibus comitatus, per intactas in id tempus vias & nives, Coloniâ Agrippinâ ad copias suas festinabat. *De Weerdius in subsidium.*

Et tanta illi erat cædendi hostis fiducia, ut sub abitum suum Coloniæ, audaciam se Batavorum & hostium castigaturum palam diceret. Ut primum autem copijs se suis junxit, Rhenum traduxit. *Hujus fiducia.*

Et jam eo hostes pervenerant, ut sibi invicem, de felicis expeditionis eventu, congratularentur; parum memores istius, *ne triumphum ante victoriam.* Aliter enim fortunæ visum, opima spolia in Cæsarianos transferre volenti; quæ ipsa Austriacis animos faciebant. Itaq; supervacaneum generoso De Werdio loqui videbatur, cum præda loqueretur. Primo impetu obvias sex equitum turmas retro pepulit, inde ad currus festinavit. *Fiducia hostis.*

Sed major erat, quam sperabatur, difficultas, cum hostes suis se curribus

bus munivissent,& toto tuti pectore, in Cæsarianos, corpore toto obnoxios, jacularentur.

De Weerdio subsidiarios cædit. Anno 1637. 30 Ian.

Verumtamen hæc moram quidem, non desperationem pariebant. Tandem enim patefacta ferro via, ex omni latere Cæsariani irrumpunt,& videntibus omnia præsidiarijs Ernberti Petræ, centenis aliquot trucidatis, currus omnes, electuarijs, commeatu, vestibusq; onustos, in castra abduxere.

Ernberti petra deditur 16 Iun.

Et jam à præsidiarijs,post nonnullos adhuc menses in obsidione peractos, omnibus consumptis, canes, feles, mures, glires, & abhorrentia ab humano stomacho animalia devorabantur. Et patuit atram famem duro ferro sæviorem fortioremq; esse; cum toto orbe famosa illa Ernberti petra, ferro omniq; violentia inexpugnabilis, penuriæ cesserit, & præsidiarij, æquas deditionis leges pacti, post biennij obsidionem, munitissimum locum generosissimo Baroni De Werdio consignarint.

Quam utilis illa deditio.

Non facile scriptu est quam felix illa deditio universam Germaniam recrearit, cum nobilissimum Imperij fluvium Rhenum, insuper & Mosel-

lam navigabilem faceret; adeoque Germaniam iterum Belgio, commerciorum societate, conjungeret. Quæ omnia Ernberti illa petra male diviserat.

Cæterum, ut in Belgium revertamur, Hollandi fortalitio Schenkiano, & Galli plerisque oppidis in Picardia recuperatis, toto jam animo de universo Belgio, & Germania usque ad Rhenum subjuganda deliberaverunt. Quem in finem Burgundiam versus Bernardus Saxo Vinariensis, in Arthesiam & Hannoniam Cardinalis Valettius, in Lutzenburgensem Ducatum Chastilionæus, & Fridericus Henricus, Princeps Auraicus in Brabantiam moverunt; & omnes quidem hoc anno, quod mirere, feliciter. *Galli Germaniã usq; ad Rhenũ ambiunt.*

Bernardus enim Saxo Vinariensis, non uno oppido expugnato, paulatim in Burgundiæ viscera proficiebat. Quod cum Carolus Lotharingiæ Dux impedire niteretur, quinq; equitum legiones, ad intercludendum aditum præmisit, quas ipse cum exercitu reliquo sequebatur. Sed jam Austriacos Vinariensis prævenerat, & quinque illas, rei nescias, legiones aggressus, omnino delevit. *Vinariensis in Burgũdiam.*

Cum

Cum Lotharingus ergo cum exercitus corpore sequeretur, & in hunc Vinariensis invectus fugere compulit, & octingentis trucidatis, Vesanzionem usq; insecutus, plerasque copias dissipavit, sedecim equitum vexilla rapuit, & in testimoniū suæ virtutis Christianissimo Regi transmisit.

Lotharingum cadit. 24 Iun.

Hæc victoria Germaniam iterum & Imperium Gallis aperuit. Siquidem Vinariensis, ad Rhenaviam navigijs tribus inventis, transmissis celeriter legionibus, propugnaculis statim utramque ripam firmavit, & ponte Rhenum subjugavit; adeoque in Imperium revertebatur bellum.

Rhenū transmittit. 27 Iun.

Verumenimvero non uno Germaniæ commodo Ernberti petra jugum acceperat: quippe Generalis Deweerdius, expeditis iterum legionibus, in Imperium ascendebat. Quem venire suo statim periculo Galli senserunt. Cum quinque duntaxat legionibus, universas Vinariensis copias aggressus, universas cum suo Duce in fugam vertit, & militaribus quibusdam signis potitus, mille equos abduxit.

A De Weerdio dānum patitur. 3. Aug.

Adeo graviter Vinariensis hoc damnum tulit, ut ad Baronem Deweerdium mitteret, qui expostularet.

ret : *quur ita ferociter ageret, non minus vere se Germanum esse, nec in Patriam iter sibi præcludendum.* Quid de Weerdius? *Amico se nulli Patriam invidere: sed Imperij Germaniæque desertorem, ipsius Patriæ suæ hostem, pro viribus suis, Germaniæ, Imperij, Patriæque commodo arcere, respondit.*

Interim dum illi ad Rhenum verbis tumultuantur & ferro, Cardinalis Valettius Landresium in Hannonia, Chastillionæus in Lutzenburgensi Ducatu Damvillerium, & Auraicus Fredericus Henricus Bredam oppugnabant, & uno eodemque tempore tribus magni momenti urbibus imminebant. *Lādresium, Dam-villenū, Breda obsi. ē-tur.*

Et Landresium quidem, defensionis spatio munitionis famam nullatenus adæquavit: post paululum enim, inaudita quadam violentia fractum, jugum admisit. *Lādresium deditur 27 Iul.*

Damvillerium & Breda acrius & alacrius restitere, à Cardinale principe subsidium non desperantes. Sed Ferdinandus Infans, tot irruptionibus distractus, divisisque ab invicem copijs, omnibus resistens, singulis par non erat. *Dāvillerium & Breda acris ter resi-stunt.*

Itaque ut alio quodam modo aut

Cardinalis Venlonã expugnat. 23 Aug. in diversum traheret hostem, aut se vindicaret, ad Mosam traductis legionibus, ipse Ruremondam, sub Marchione Leedio Venlonam obsidione urgebat. Et hæc quidem ardentissimi Marchionis ferociæ impar, vix ipsos tres dies obsessa, vi bellica fracta est, & præsidiarij, vitam fortunasq; pacti, diffecerunt.

Et Ruremondam. 3. Sept. Venlonam Ruremonda sequebatur. At multo majori Batavorum damno; cum ultra quinquaginta tormenta bellica, frumenti nitratique pulveris modiorum millia, una in urbe traderentur.

Breda deditur 10. Octob. Interim à tergo Breda ad extrema devenerat, & magis ferro quam fame humiliata deditionis leges stipulabatur; non inulta tamen, cum nongentos facile milites eruptionibus trucidasset, & inter illos Gallicum illum Herculem Charnassæum, confœderationibus invisis detestabile caput, quod quotidie novos Austriacæ Domui novosque hostes volvebat.

Damvillerium deditur. 27. Octob. Breda Bamvillerium excipiebat, & hoc enim Galli, omni robore machinationibusq; Martis, suo stare arbitrio coegere. Hac opportunitate loci porro iter ad Rhenum & in Germaniam

niam moliebantur: sed non aderat illis Vinarienſis felicitas, cum omni, eorum impetus, aditu retunderetur. Ceſſerunt itaque, & victores licet, non aliter ac ſi ſuccubuiſſent, in Gallias ſe ſuas recepere.

Bernardus autem Dux Saxo Vinarienſis, in Germania iterum fixo pede, non uno modo progredi laborabat. Sed omnia fruſtra; cum cuncta ejus molimina Baro De Weerdius, pauculis legionibus ſuis everteret. Adeo ut Ducem paulatim ipſum deſperatio ulterioris ſucceſſus ſubiret; & varijs excitatis fortalitijs, traducto rurſus exercitu, in Burgundiam iterum Galliasq; regrederetur. *Vinarienſis in Burgūdiam regreditur.*

Itaque Generalis De Weerdius, imminente Hyemis aſperitate, in hyberna feſtinans, Imperium & Germaniam Gallica prius lue ſanare conſtituit. Adeoque primo impetu felicitate quadam infortunatus, Gallis munitionibus tribus ejectis, quadringentis trucidatis, & grandibus machinis lacerato ponte, ad firmius quoddam fortalitium ſauciatur; ſed honeſtiſſimo vulnere in ipſa facie, ita ut ſclopeti globulus, ad auriculam hærens, carne & cute tegeretur. *Generoſitas De Weerdÿ.*

Sed

Gallos undecim fortalitijs ejicit. 1. & 2. Nov.

Sed vulnere corporis animi generositas accendebatur: sic ut cruda adhuc cicatrice & honesta formosus, in ultionem excandesceret. Nec uno quidem modo, sed partitis in utramque Rheni ripam copiis, uno impetu munitiones omnes aggressus, non antequievit, quam omnes occupasset. Adeoque, duorum dierum spatio, propugnacula minora novem, grandia fortalitia duo, continuis assultibus expugnavit, ultra mille Gallos jugulavit, ultra mille captivos abduxit, viginti quatuor tormenta sui juris fecit, toto Rheno hostes pepulit, Gallicumq; pontem, cum bellico apparatu omni, vendicavit. Sic inimicos ultus in hyberna concessit.

Vinariensis iterum ad Rhenum.

Laufenburgum occupat. Anno 1638. 30 Ian.

Erant ergo, hoc anno, in Belgio Galli & Batavi quidem victores, & Bernardus Saxo vinariensis etiam non infelix; sed, post abitum ejus, Galli, quos præsidio liquerat, Rheno debellati. Itaque cum Generosus Princeps, â sua etiam parte, veram vellet & sine exceptione victoriam, in ipsis adhuc pruinis, & adulto frigore, vindicias, & de novo Rheni transitum anhelabat. Quem cum ea, qua prius venerat, parte desperaret, flexo

post

post Basileam agmine, Laufenburgo incubuit, & quia inopinatus venerat, citra militis unius jacturam, oppidum, pontem, transitum, Rhenumque denuo subjugavit.

Ut autem porro tutior esset, etiam Reinfeldiæ oppido & munimento imminebat, ne à parte Rauracorum aliquid in posterum nisi Gallicum numeraretur. Ergo De Weerdius, Savellius, Enckenfordius, & Sperreuterus, Generales quatuor, in subsidium coaluere. Nec tamen Saxovinariensis prælium detrectavit. Ut ergo ad Buquenum acies concurrere, ala læva Vinariensium, Cæsarianorum ala dextera, gradum retro dederunt; Cæsorum fere numerum æquante fortuna. *Reinfeldiam obsidet.* *Quatuor Generales in Vinariensem*

Sed longe alia erat peditatus facies. Quippe Cæsarianorum cohortes, binis equitum cataphractorum manipulis stipatæ, peditatum Vinariensem, equitatu vacuum, incurrentes, eundem magna ex parte dissiparunt, cæsisque quos adversa fortuna destinarat, tormenta duo bellica obtinuerunt. *Ad Buquenū capitur.*

Itaque Vinariensis, ut cladem, quam segregatis copijs hauserat, uni- *Iterum in Ca-*

tis

Saranos ducit. tis viribus resarciret, Reinfeldiæ obsidionem in totum solvit, & legionum numero, & re tormentaria validus, denuo ad Buquemum movit. Quod quidem Cæsarij Generales fore non putaverunt, cum Vinariensem de fuga potius, quam restaurando prælio, cogitare ominarentur.

Cæsariani aciem struunt. Ut autem arma iterum expedientem adverterunt, loco opportuno, prope Reinfeldiam, in adversum aciem direxere. Partem peditatus sylva, partem fossa, aciei frontem jugiter sinuante, occuluerunt. Reliquum, post fossam, justo ordine, à lateribus, & à tergo equites firmavere.

Cæduntur. 3. Martij. Ut ad mutuum conspectum acies accessere, Vinarienses, propius singulis vicibus, ter in adversos grandibus machinis detonuerunt. Inde fossa uno impetu nec infelici temeritate superata, legionibus incubuerunt. Tum vel maxime patuit equestrium virium id proprium esse, cito parare victoriam, cito cedere. Quamprimum enim Vinarienses fossam superaverunt, nudum peditem, turpi fuga, Cæsariani equites deseruere. Mox ergo turbati ordines, abjecta arma, & cohortes cæsæ. Nec restitui quivere,

re, impediente sylva, cum tum vel maxime Vinarienses incumberent, consectandi festinatione victores.

Baro De Weerdius Generalis, ut acerrimus pugnando fuerat, fugæ ultimus, cum Wahliana legione, ad lævam sylvæ substitit: sed tandem, universa legione intercepta, totisque viribus pugnando exantlatus, cum Enckenfordio, Sperreutero, Savellio (qui tamen paulo post, fuga captivitatem evasit) vivus in manus hostium venit, & in Galliam, quam non una clade afflixerat, abductus, herculeo vultu victoribus etiam honores extorsit.

De Weerdius, cũ alijs Generalibus capitur.

Cæterum inter occisos, à parte Svecorum, Johannes Philippus Comes Rhenanus: à parte Cæsarianorum, Waloes Tribunus, cum Stubenvoltio, Garthusio, & Egero Subchiliarchis, & gregarijs non amplius Septingentis, numerati sunt. Mille autem & octingenti equites, mille ducenti equites capti sunt. Triginta octo signa equestria, duodeviginti vexilla pedestria ablata sunt, & tandem Reinfeldia, post aliquot septimanarum moram, præmium victoriæ fuit.

Occisorum & captivorum numerus.

Reinfeldia Vinariensi deditur. 25. Martij

Iam itaque Galli Rheni transitu, &

muni-

Et Fri- munimento, insuper & recenti vi-
burgum ctoria animosiores, multo alacrius
12 Apr. Belgio & Germaniæ usque ad Rhenum incubuerunt. Et in Germania quidem, sub Vinariensi, Friburgum non ignobile Briscaviæ oppidum, universis viribus aggressi, deditionis
Brisaco legibus occupaverunt. Tum vero in
immi-
net, Brisacum, quod hucusque inter bellorum continuos æstus, ob desperationem eventus, inoffensum perseveraverat, oculos coniecerunt.

Est autem Brisacum colli ementio-
Topo- ri superstructa civitas, quæ ex una
graphia parte, qua Alsatiam spectat, Rheno,
Brisai. per Insulam duplicato, alluitur; neque hac accessus nisi per duos pontes Rheno injectos, & propugnaculis in ingressu firmatos, patet. Arx vetus, prærupto monti imposita, turri, quam habet altissimam, quascunque hostium adreptationes detegit, ac si vel incuria, vel fato hostis immineat, tormentorum multitudine, ascensus difficultate, & ipso præcipitio suo, conatus ejus facile retundit. Fortalitum insuper novum, quod meridiem versus colli superstructum est, securitatem urbi terra mariq; prębet; utpote quod & flumini Rheno, &

planitiei,

planitiei, quæ in Briſcaviam late extenditur, undique dominatur. Ipſa civitas autem muro duplici præſumens (habita naturæ loci, dictorumque munimentorum ratione) recte Briſcaviæ Domina audit, & Alſatiæ clavis.

In hanc urbem ergo, in hoc Briſacum celebre & munitum, Galli oculos, inquam, coniecerunt, & Vinarienſis, auro & ſubſidio Gallico animatus, obſidione clauſit. *Vinarienſis Briſacũ obſidet.*

Ut autem ſecurius ageret, uno eodemque tempore, per S. Audomarum Galli Flandriæ, per Calloam Batavi Antwerpiæ imminebant; rati, hiſce feliciter occupatis, nihil, in toto Hiſpano-Belgio tutum, imo totum Hiſpano-Belgium ſuum fore. Sed noviſſimi, ut & Galli ad Audomarum, ſpe ſua, cum damno & ignominia exciderunt. *Galli S. Audomarum, Batavi fortalitum S. Mariæ obſidẽt.*

Cum enim Batavi fortalitium ad Calloam adventu ſubito expugnaſſent, S. Mariæ fortalitij deditionem pariter anhelabant; cum præter hoc hoſtile nihil, Antwerpiam usque, deinde reſtaret. Non ignorabat periculum Cardinalis Infans, & relictis tantiſper ad S. Audomarum Gallis, *Hiſpan in Hollandos ad Calloam.*

plerisque viribus in Hollandos, velut propius imminentes, convertebatur.

Johannis Nassovij Comitis resolutio. Cæterum prius Antwerpiæ in consilium, quam in hostes itum: & alijs non pugnam, sed fortalitia in adversum, & alijs aliter suadentibus; Johannes Nassovius Comes Magister equitum, quia paulo post devixit ultimum generosius admota, dextera capulo, *Hic oportet*, inquit, *Batavos Calloâ pellat*. Et in hanc sententiam potissima vota concluserunt.

Guilielmus Nassovius suos deserit. Intellexit Guilielmus Nassovius Comes resolutionem fratris, & in tempore, sub adducendi subsidij specie, periculo se subduxit, & quatenus pugnare non audebat, navigavit.

Hollandi ad Calloam cæduntur. 22. Junij. Interim Hispani, transmisso Scaldi, in adversam ripam, in Flandriam & Hollandos emersere, & in Hos umbilico noctis irruentes, ferro, igne, impetu terruerunt; quæ omnia caligine tenebrarum, & horrore noctis, in exitium duplicabantur. Hinc turbari, inde languidius, stupentes metu Batavi, resistere demum cedere: præsertim cum obscura nox tam pudorem cujusq;, quam virtutem tegeret. Hispani ergo, hostium consternatione, metu, motu cognito, fe-

rocius inſtitere, & in turpem noviſſime fugam conjecerunt.

Tum vero apud Hollandos, qualem vix ullus in ea gente meminit, miſerabilis rerum facies. Tota regio in circuitu inimica erat, & agricolæ, ad quos refugiũ forte nonnulli anhelaſſent, quia irritaverant, in victoria crudele genus. Hoſtis, qui à tergo jam, & à lateribus erat, ſævior timebatur, quia in Antuerpiam, decus Orbis, tantilla manu præſumpſerant. A fronte navigia, reciprocantibus undis, & adverſo æſtu, vado hærentia, fugæ ſubſidium extenuabant. Ita cædes, captivitas, ſubmerſio, &, præter ſpem, irritati hoſtis miſericordia, tandem expeditioni noxiæ coronidem impoſuerunt. *Miſerabilis eorum facies.*

Sic Tribuni duo, Centuriones aliquot, & gregariorum militum duo millia & quingenti, carceribus mancipati. Octuaginta quinq; navigia, commeatu, an nona, & bellico apparatu vario, r eferta, adverſo fluvio Antuerpiam directa. Ærea tormenta novendecim, vexilla peditum quadraginta quinq;, & quatuor ſigna equitum, Cardinali Principi oblata ſunt. *Captivorum, & prædæ quãtitas.*

Cæsorum numerus ducentesimum supra millesimum superavit; qui & Guilielmi Nassoviæ Comitis filij sanguine nobilitatus. Hispanorum etiam sexcenti milites, cum Illustribus viris, Dno Josepho, & Dno Mathia de Larasi, ceciderunt. Sed hi, quid aliud, in hoc casu pauculi, nisi irritamenta famæ, quibus hæc, de præsumptuoso hoste, prosperrima radiarentur! Ita hercule, & fortissimis viris Epitaphium triumphali sanguine Victoria scripsit, quos speciosa morte Virtus condidit.

Cæsorũ numerus.

Verumenim-vero ab Hollandis Cardinalis Infans, in Gallos versus, quia in illos vicerat, in hos non desperavit; & victoria recens speratæ felicitatis, irritamentum fuit. Itaq; parum interfuit, paucis Batavi, an Galli pluribus præliarentur. Nec Forcio & Chastillionæo, Marescallis Gallicis, amplius triginta, quam Guilielmo Nassoviæ Comiti septem millia profuere.

Cardinalis Infans ab Hollandis in Gallos convertitur.

Occupatus, sub Serenissimo Thoma Principe, Watenæus aditus, in conspectu exercitus, & mille ducenti variæ nationis milites, tribus navigijs in urbem introducti. Insuper &

S. Adomarum commeatu instruit,

& tres legiones peditum, cum sexaginta equitibus, ad Neovlieti aditum occupandum, ab exercitu Gallico amandatæ, & in periculo, brevi imminentis mali solatio, curribus vallatæ, Tertio Guascone Hispano Duce, in fugam actæ, cæsæ, dissipatæ; tam fæda clade, ut, præter occisos, Tribuni tres, Centuriones sedecim, mille trecenti gregarij, cum vexillis omnibus in manus venerint. *& Gallos cadit.*

Sed parva jam illa erant. Siquidem à Duynkerkano adolescente, cataractæ inventæ sunt, quibus maxima ex parte Gallorum castra inundata, & late intumescentibus aquis, quævis subsidia navibus in oppidum directa. *Stratagema à adolescentis Duynkerkani.*

Sed stratagema juvenis intra Gallorum pertinatiam fuit, & quadam rabie propugnacula civitatis armata manu aggressi, sexcentis desideratis, cum pudore rejecti sunt. *Gallorum conatus frustraneus.*

Et tum quidem Marescallus Forcius, insigni prudentiæ laude, recedendum, Chastillionæus autem, ut & Tribuni varij, magno suo cum damno, perseverandum judicaverunt. Et horum quidem ratio erat copiarum numerus: & innatam cunctationem *Forcius recedendum. Chastillionæus perseverandum judicat.*

 nem

nem Hispanæ genti, in ipsa castra, armata manu, minime præsumpturam.

Sed multum chastillionæus à scopo aberravit. Habent enim cuncta-bundi Hispani quiddam simile cum Oceano suo: profundissimi sunt, & hinc rationibus bene discussis, tarde procedunt. Novissime tamen, ut semel moti sunt, in ultionem exurgentes, uno impetu omnia circumquaque disjiciunt.

Hispanorum natura.

Tandem ergo, sequestratis copijs, Hispani sub Thoma Principe: sub Picolominio (qui in subsidium Cardinali venerat) Cæsariani, quo æmulatio animos adderet, ipsis, sed diversis, Gallorum stationibus incubuerunt. Et Hispani quidem primi, ad Neovlietum, tria fortalitia armata manu expugnaverant, & rejectis quasi una manu in subsidium venientibus turmis, quadringentis trucidatis, & centenis aliquot captis, octo Centuriones, cum plurima nobilitate Gallica, carceribus mancipa-runt.

Eorum Victoria. 8. Julij.

Quod ut Picolominius, ad stationem alteram, Backium nominatam, vidit, ne prævijs quidem cuniculis aut ruina valli, vicinum exercitui

Picolominij Victo-

ſuo reductum & ipſe vi bellica ex- *ria ea-*
pugnavit, occiſis omnibus arma fe- *dē die.*
rentibus.

Inde in ipſam ſtationem conver-
ſus, cum aliquot dierum ſpatio val- *Alia*
lum humiliaſſet, univerſas copias *major*
ad aſſiliendum diſpoſuit. Sed inhor- *ejusdē*
ruit ad periculum Gallicana ſtatio, *Vctoria*
& protenſo pileo deditionem ſuppli- *12. Iulij.*
cans, leniora meruit, quia noviſſima
non exſpectavit. Ita duo millia pedi-
tum, maxima ſui parte nobilium,
& ſeptingenti equites, ſolis laterali-
bus armis, per Ipras, Cortracum,
Bruxellas, Namurcum, & Lutzen-
burgenſes, in Mediomatrices, & Gal-
liam abierunt. Et Picolominius o-
mni apparatu bellico, annona, &
grandibus tormentis ſedecim, absq́;
ſanguine & cruore potitus eſt.

Tum demum & Chaſtilionæum
deſperatio ſubijt, & adulta nocte, *Chasti-*
ſummo ſilentio, præmiſſis machinis, *lionaeus*
& convaſatis omnibus, Ardreſium *S. Au-*
verſus ſe recepit. Sed equitatus Cæſa- *domarum dese-*
rius Hiſpano junctus, per ipſas S. *rit,*
Audomari portas, in poſtremos or- *caeditur*
dines effuſus, quatuor millia truci- *fugit.*
davit, & reliquias in turpem fugam *13 Iulij.*
egit.

Cardinalis triumphat. Sic quatuor hebdomadarum spatio, duobus potentissimis hostibus devictis, Cardinalis Infans, per totum Hispano-Belgium, gratiarum actione, tormentorum explosionibus, flammis fusilibus, campanarum pulsu, & festivis ignibus triumphavit.

Brisacum arctius obsidetur. Interim ad Brisacum in Alsatia, non eadem fortuna erat. Quamvis enim semel & iterum à Generale Gotzio, etiam cum nonnullo Vinariensium & Gallorum damno, annona, milite, commeatu, instructû esset, tamen hæc omnia ad summam totius parum proficiebant. Bernardus enim Vinariensis quotidie cautius & acrius imminebat, omni bellica arte, & stratagematibus varijs in expugnationem sedulus.

Gotzio & Savellius in Vinariensem. Ergo juncti Gotzius & Savellius Generales, cum Cæsarijs Bavaricisq; copijs, & accita veterana manus, exercitatissimæ legiones, & integræ regioni sufficiens provisio cumulabatur: & jam non velut in subsidium, sed desperationem hostium cuncta præparabantur.

Sed Bernardus Vinariensis tanti non æstimavit, ut relictis nonnullis

copiis ad Brisacum, cum exercitu reliquo obviam progrederetur. Sed ubi in edito Cæsarianos advertit, aggredi non ausus, aliquantulum ad Molbergam se recepit, si forte hostes, opportunitatem loci deserentes, in planiora descenderent. *Vinariensis obviam progreditur.*

Factum est. Cæsariani enim altera die, non procul Rheni ripa, Brisacum accelerabant, ut Vinariensem, procul castris, & citis legionibus prævenirent, & ante de omnibus Brisacum instruerent, quam in castra regrederetur. *Consilium Cæsarianorum.*

Intellexit consilium callidus Belli Dux, & agglomeratis passibus in adversum rapuit legiones. Ita ad Wittenweierum, eo loci, ubi præcedenti anno Rhenum ponte junxerat, ad pugnam ventum; primo initio Cæsarianis admodum non infelicem, sed eventu ultimo exitiosam. *Vinariensis prævenit.*

Siquidem ala sinistra Cæsarianorum (quæ è meris cataphractis equitibus, selectisq; turmis coaluerat) dexteram Vinariensium, cum insigni clade, adusq; legiones in subsidium ordinatas, retro pepulit. Sed Vinarienses, præsenti subsidio confirmati, *Ala sinistra Cæsarianorũ vincit.*

 ti,

ti, versa vice, victoribus imminentes, cladem reposuere.

Interim ala læva Vinariensium, in Cæsarianorum dexteram invecta, nullo fere negotio, in propriam aciem & statarium militem egit.

Dextera succumbit.

Inde pedites & cornua concurrere, tam eventu & virtute pari, ut Cæsariani Vinariensium, Vinarienses Cæsarianorum, tormentis, machinisque bellicis potirentur.

Tormenta bellica invicem auferuntur.

Quod ipsum tamen exitio Cæsarianis, & Vinariensibus saluti fuit. Illis enim machinæ sine globis inutiles, his omni necessario apparatu proficuæ, diverso impariq; casu obvenerant. Qua fortuna non segniter usi Vinarienses equites, cum lassi explosores deficerent, equis desilientes, gnari ignariq; juxta, globis certum inter & incertum jactis, officium supleverunt.

Hoc Cæsarianis exitio, Vinariensibus saluti est.

Nec tamen ideo cessere Cæsariani: sed utrinq; vetus miles, & multa præliorum experientia non in fugam doctus, mixtis ordinibus sæviebat. Bis equites utriusq; partis, versa fortunæ facie, alteri alterorum locum & arenam occupaverunt.

Constantia Cæsarianorum.

Tandem, post quinq; horarum dubio

bio marte, pugnam, res eo devenit, ut milites, pedes pedibus conjungentes, gladijs invicem, bipennibus, hastis, & quibusvis manualibus armis sævirent, quin & versis sclopetis, cum glandes pulvisque deficerent, tempora invicem frontemq; pulsarent. Ita victi victoresq; simul sæpe cadebant, varia pereuntium forma, & omni genere mortium. *Crudelitas prælij.*

Novissime tamen Cæsariani succubuerunt, & versa in avaritiam rabie, aut quod hostibus inviderent, proprios currus spoliaverunt. Sed à victoribus, qui jam eos in virtutis præmium asserebant, cum clade rejecti, inter arbores vicinamq; sylvam, tuta præcipitiq; fuga evaserunt. *Cæsariani cæduntur. 9. Aug.*

Et tanta lassitudo etiam apud victores fuit, ut, cum ipso Duce suo, totis viribus pugnando exantlati, fugientes insequi tæderet. Unus autem Tupadellius Generalis, qui cum pauculis præsumpsit, non evasit, & à recollecto armatorum globo interceptus, captivus abductus est. *Tupadellium capiunt.*

Cæterum hujus tam pertinacis pugnæ faciem occisorum numerus non æquavit. A Cæsarianis enim, qui victi sunt, in ipso pugnæ loco non *Cæsorum & captivo um*

Numerus a parte Cæsarianorũ. amplius mille quingenti cecidere, & inter illos Meuselius, Haxsthausius, Salesius, Alberius, Paisius, & Limpachius, Chiliarchæ. Duo millia curruum, equitum peditumq; signa octuaginta, ut & tormenta bellica omnia ablata sunt.

A parte Vinariensium. Sed nec incruenta, nec omnino felix Vinariensibus Victoria fuit. præter unum & alterum Tribunum, equitum præfecti quatuor, centuriones quinq;, & septingenti milites desiderati. Tupadellius Generalis Major, cum octo equitum præfectis & Centurionibus, ut & quatuordecim vexillis, & octo equitum signis, in Cæsarianorum manus venit.

Brisacum arctius obsidetur. Maximum autem, ob quod hæc omnia, detrimentum Brisacum erat, à victore Vinariensi arctius obsessum, à victis Cæsarianis porro desperatum, & ad inauditam famem paulatim adactum. Sed nos hac à rabie nonnihil abhorrentes, ab modicum secundo Rheno in Hollandiam navigamus.

Hollandi Geldriã obsident. Ibi Batavi salsis ignominiæ maculis, à vicino mari, & effuso sanguine, ad Calloam, fœdi, dulcibus ad Geldriam, Nirsæ aquis ablutum anhelabant.

Sed quoniam cum hoc oppido, ob interceptum non ita pridem fortalitium Schenckianum, non bene conveniebat, ut porro securius agerent, obsidione clauserunt. Verum-enimvero spe abluendæ maculæ occupati, in cænum ulterius inciderunt.

Quippe Cardinalis Infans parum interesse reputans, in Menapijs, an Canninefatibus, cum eodem hoste, dimicaretur, vel ad auditam opportuni oppidi obsidione (tum vel maxime ne hoc intercepto, in Clivia & Juliacensi terra hyberna utilissima impedirentur, tum etiam ne Mosæ transitu in posterum arceretur; adeoq; conjunctio Cæsarianorum cum Hispano-Belgis, hoc rerum statu summè necessaria, periclitaretur) ilico in subsidium movit. *Cardinalis in subsidium movet.*

Nec diu cunctatus, ut in vicina venit, cum sex millibus Marchioni Leedio, cujus jam sæpius probata virtus, hostiiia castra assilire jussit. Fecit eadem generositate Leedius quæ erat imperatum, & Casimiri Nassoviæ Comitis statione, sueta virtute aggressus, primo impetu expugnavit, ipsumq; Comitem, Hertefeldiam citis copijs se recipientem, asse- *Obsidionem levat & Hollandos cædit. 21 Aug.*

cutus,

cutus, fæda clade cecidit. Ipsi præsidiarij, subsidiaria manu freti, in Solmensis Comitis stationem versi, pariter pepulerunt.

Captivorum & prædæ quantitas.

Sic Geldria obsidione levata, & præter tormenta legionaria, sex grandiores machinæ, cum Portugalliæ Principe, Frederico Nassovio Comite, Chiliarchis duobus, equitum præfectis quatuor, & quingentis militibus, in triumphum ductæ.

Cæsariani frustra Brisaco subvenire nituntur.

Interim Bernardus Vinariensis, Brisaco celebri & famoso, exequias struebat. Quamvis enim Cæsariani, sub Generale Gotzio, recollectis viribus, ab una, & Carolus Lotharingiæ Dux ab altera Rheni parte conarentur, omnia tamen in contrarium cecidere.

Lotharingus ceditur. 14 Octob.

Et Lotharingum quidem Vinariensis, Senam inter & Thannum, in Suntgovia assecutus, centenis aliquot trucidatis, graviter cecidit, & Bassonpierium Generalem, cum duobus Tribunis, sexcentis militibus, quinq; tormentis bellicis, peditum vexillis viginti, & signis equitum viginti quatuor, captivum duxit, & quingentas mensuras tritici, Brisaco in subsidium destinatas, in sua castra direxit.

Gene-

Generalis Gotzius autem, in Brischovia, ab alia parte, reductum quidem quinto impetu expugnavit: sed, dum eodem fortunæ cursu pontem asserit, à Vinariensibus repulsus, & uno impetu iterum reductu ejectus, nongentis & amplius desideratis, se cum damno recepit, & de fortuna in posterum desperavit.

Gotzius V[illegible] ensis castra cũ damno tentat. 26 Oct.

Sic Brisacenses miseri, omni subsidio destituti, fidem inter & egestatem distrahebantur, & cunctantibus solita paulatim insolitaq; alimenta deficiebant, absumptis jumentis jam & equis, & cæteris animalibus, quæ profana fædaque in usum necessitas vertit. Virgulta deinde & stirpes, & internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuere. Novissime autem, cum & hæc ipsa deficerent, versa in rabiem fide, se ipsos invicem devoraverunt. Ut taceam enim duo millia pellium comesta, & digitis in parietes ingestis calcem & argillam homines in cibum tentavisse, & aqua calida nonnullos in quintam & sextam septimanam usq; vitam protraxisse, deinum, prævio tumore pedum subito extinctos; ut taceam, inquam, hæc omnia

Inaudita fames in Brisaco.

omnia, veterum annalibus ignota, fæviora referam; octo pueros præcipuorum civium, una die desideratos, dubioq; procul dentibus laceratos & comestos; in platea publica homines hominibus imminentes trucidasse obvios in subsidium diræ famis; aliquot dierum sepultorum cadaverum intestina cocta, contractoq; stomacho digesta; quin & recenter mortuos, cruda carne, nervis, sanguine devoratos.

Deditur. 19 Decem. Sed hæc, & alia, Reinachio sub præfecto, Brisacum subijt, & tandem fame domitum. cum trecentis facile tormentis, & inæstimabilibus Austriacæ Domus divitijs, jugum admisit.

Periculũ Germaniæ ob expugnatũ Brisacum. Cæterum ea ratione Brisaco fame ad deditionem compulso, Francis via strata putabatur, qua ad ruinam Imperij eniterentur. Et sane in tanta discrepantia animorum, spes sectariorum huc ibat, timor catholicorum. Quid enim aliud illi concipere possent, post expugnatum fortissimum munimentum, hi metuere? Cōfidentia tanti successus illis animos addebat, his adimebat. Unde patet non uno voto mortales omnes affectos, quando vel pro naturæ inclinatio-

clinatione, vel credulitatis opinione, vel fortunæ casibus plerumq; sentiunt. Verumenim-vero patuit non multo post, & à sectarijs temerarius spem conceptam, & à Catholicis simplicius timorem; cum idem ille qui huicusq; venerat, Dux Saxo Vinariensis, post modicum, sua morte spem & rem omnem simul destitueret.

Gallia interim, quasi prolatis jam *Vinariensis*
ad Rhenum usque terminis, & anti- *Burgundiam &*
quum assecuta limitem, triumpha- *Suntgoviam*
bat. Ne autem Burgundia Suntgo- *debellat.*
viaq;, jam quasi Franciæ Regno clau- *Anno. 1639.*
sa, porro Austriacum sonarent, eo- *primo vere.*
dem Bernardo Vinariensi Duce, debellabant: Ita Ivignionense castrum, Pontarlunum oppidum, Jouxianam arcem, S. Hyppolitum, & non infimum Suntgoviæ Thannum, deditionibus occupaverunt. Pulchrum vero illud, nitidum, & munitum, S. Claudij oppidum, armata manu expugnaverunt. Dedere quidem se voluerant, sed quis agat cum victoribus Francis lege, cum temperare suam ipsi nequeant victoriam ratione? Armati ergo inermesq; juxta trucidati; ita spoliatis reliquis, ut vix tecto pudore, solo indusio dimitterentur.

Graviter

Burgundorum querela.

Graviter hæc Burgundis accidebant, ob longam pacem martialis insolentiæ jam pene inassuetis. Hinc illæ ad externos plenæ lamentationum Litteræ; hinc vicini ad vicinum complorationes; hinc virorum suspiria, mulierum lamenta. Hinc illæ voces, Cæsarianum militem hactenus recusatum, fidum & amicum subditis: nuncGallos inimicos, intra ipsa Patriæ viscera, à volentibus nolentibus, ali, saginari. Sed frustra, ubi armis resistendum fuerat, gemitibus agebatur: quippe maxima sui parte Burgundiam, brevi tempore, hostes occupaverunt.

Galli Theonisvillam & Hesdinum obsident.

Interim pro Hispano-Belgio, in inferiori Germania, ab ijsdem Gallis, non min⁹ feriabatur. Ibi uno fere eodemq; tempore, in Lutzenburgico Ducatu, Theonisvillâ, & Hesdinũ in Arthesia obsidione clauserunt; majori cum fiducia, quod alia ex parte Batavi, coactis in unum copijs, arma, si non inferrent, tamen ostenderent.

Ad Theonisvillam a

Attamen ad Theonisvillam & sic quoque parum feliciter; Picolominio qui apud Juliacenses hactenus hybernaverat, dum Galli describendis adhuc stationib⁹ occuparentur, ilico

super-

superveniente. Præcesserat Vigiliarũ summus Præfect⁹ Beeckius cum selecta manu, quem totus exercitus, juxta Lutzenburgum lustratus, pone sequebatur. Inde in hostes itum, & exploratis diligenter castris in pugnam. Nemo non Ducum strenue munus suum implevit, Picolominius, Soianus, Suisius, Gonzaga, & quem dixi Beeckius. Itaq; commisso prælio, res alternante aliquamdiu fortuna, tandem eo devenit, ut Galli castris exuti, ijsdem Cæsariani, oppido liberato, potirentur.

Picolominio graviter cæduntur. Sub Iunii: Iunij.

Ad numerum occisorum quod attinet, sex circiter millia fuere: ad intercepta signa; omnia, qua peditum, qua equitum, intercepta: ad captivos; ad tria millia numerata sunt.

Cæsorum & captivorum numerus.

Dum hæc vero ad Theonisvillam gererentur, Hesdini obsidio pertinacius continuabatur, & quanquam Galli propugnacula suburbana non absq; profuso fortissimornm militum sanguine expugnassent, intrepidos tamen in defendendo animos hactenus frangere non potuerunt. Hinc rabies extrema minitantium, hinc octo pertinacissimi insultus, nihil

Hesdinum acrius & frustra oppugnatur.

nihil aut parum commotis animis, propter rem male ad Theonisvillam gestam.

Deditur. 30 Iunij. Et vero ne militum, adverso rumore, animi abascerent, Rex ipse in castra venit; præsentia sua generositatem additurus. Prudens consilium saluti fuit, & obsessi, deficiente jam nitrato pulvere, & plurimis præsidiariorum convulsis, aut mortuis, suprema pericula declinantes; cum Rege honestissimis conditionibus transegerunt, & militari more Bethunium abierunt.

Quanto Gallorũ impendio. Quis credat? Quadragies & septies mille ictus Hesdinum exceperat, antequam dederetur, ita ut Rex ipse locum lustrare voluerit, & post mandatam restaurationem, Lutetiam Parisiorum, quasi triumphator abierit.

Ducis Bernardi Saxonia Vinariensis morbus. Cæterum ad Saxovinariensem revertamur. Hunc oppidorum & arcium expugnationibus involutum, è medio victoriarum cursu, tandem ad alia, sua fatalia, retraxerunt. Cum enim quinto Nonas Julij, ab Hunningensi oppido, Neoburgum Rheno deveheretur, jam tum *male*; moxq;, in lectulum collocatus, *pejus*; denique à medicis desperatus, *pessime* habere cæpit.

intel-

Intellecto itaq; mortis terminum inevitabilem instare, pro suæ religionis consuetudine ad exitium se comparavit; ita tamen, ut præeuntē verbi ministrum brevem esse juberet, & tam unde abiret, quam quo iret, in illo vitæ momento, secum volveret. Sic testamentum condidit, liberalis in suos, quia amplius non indigeret. Comes quidam Nassovius decem, Tribuni singuli sex, concionator aulicus quatuor (& profecto nimium pro nudis verbis) ambo medici duobus millibus imperialium; famuli insuper, pro sua quisq; conditione, donati: munifico utiq; laudabilique legato, si hæ pecuniæ ex hæreditate propria obvenissent. *Testamentū.*

Hoc itaq; modo obiit Dux Bernardus Vinariensis, qui propter majores suos, sub Carolo V. ab electoratu Saxonico dejectus, Gallos Germanis, bellum paci, Regnum Imperio, externos popularibus præposuit; brevis vita ne diutius rebellaret, modicús potentia ne gravius noceret. *Mors. 18 Julij*

Verumenim-vero non deerant, in utrisq; partibus, qui subitanea & immatura ejus morte in aliam suspicionem adducti, non tacite illud Taciti *Ob immaturā ejus mortem suspicio.*

de

de Francia murmurarent. *Beneficia eousq; læta sunt, dum videntur exsolvi posse: Vbi multum antevenere pro gratia odium rependitur.*

Exercitus ejus auro Gallico Franciæ obligatur.

Ne vero Vinarienſis exercitus, qui in Alſatia, & vicinis Burgundiæ locis, adhuc hærebat, capite ſublato (præſertim quia Dux ſuprema voce Tribunos adjuraverat, ne Briſacum nobile cymmelium, exteris conſignarent) aliorſum reſpiceret, ſexto idus Auguſti, muli duodecim, cum ingenti pecuniarum vi, ad ſexcenties mille imperialium æſtimata, Baſileam, à Galliarum Rege miſſi, advenerunt. Qua ſumma militibus ſatisfactum eſt, & fides eorum, novo hoc aureo vinculo, arctius obligata. Nec dum ſatis. Mox enim iterum ſex muli Auguſtam Rauracorum intrarunt, qui octoginta millia duplicium coronatorum adduxerunt. Ita ſæpe noſtra domi profundimus, ut foris aliena acquiramus.

Novū Gallorum fædus cū protestantibus.

Cæterum, ut ad propoſitum redeamus, & novum Galli fædus, cum Proteſtantibus Principibus inierunt, ut male cohærentes exercitus Vinarienſis Duces, ſepoſitis æmulationibus in concordiam reducerentur.

Id vero Colmariæ transactum est, & quia diffidentia ubique suspicionem invenit, conventum, ut Germanis Brisaci custodia, Longevillio Duci suprema exercitus cura committeretur. *Vinarienses exercitus cura Longevillio.*

Quid faciant inter se hostes, si unius corporis membra hoc modo dissentiunt? Sed non mirum. Neque enim unquam sincere Gallicum Germanis, Sectarij cum Catholicis convenient, quando illos naturæ levitas, istos religionis pravitas, in transversum rapit. Documentum Marchio Montosierius clarum dedit, qui Hatstenium Tribunum, oppidulo & arce Kintshemiana, quibus à Bernardo Duce donatus fuerat, per vim & nocturnas fraudes ejecit. *Gallicũ Germanis male conveniunt.*

Cæterum à Vinariensibus, mox repetituri, in Batavos nonnihil divertamus. Hi, Gallis in Arthesia, Hannonia, Flandria, populationes inter & expeditiones, eventu irrito, tumultuantibus, iterum in Menapios ascendentes, Geldriam obsederunt. *Hollandi Geldriam obsidēt.*

Quid dicam? Præcedenti anno Cardinalis Infans, per Marchionem *Cum damno*

Leedium,

Leodium, subsidio venerat, nunc ad levandam Geldriam sola Geldria suffecit. Siquidem præsidiarij, in eundem Casimirum Comitem duobus millibus effusi, statione pepulerunt; tantumq; exercitui reliquo probata fortitudine, terrorem incusserant, ut obscura nocte, relictis æneis duobus machinis, lateq; campo cadaveribus strato, ad Rheno-Berckam trepida se fuga reciperent.

Vinarienses sub Longevillio Duce in Rhingoviam descendunt.

Sed verbo stabimus & ad Vinarienses in Alsatiam remeamus. Illi jam auro Gallico occupati, & Monetæ Divæ gratijs caliginosi, Gallum Principem, & Generalem Gallicum, gravate minus admiserant. Adeoq; sub Longevillio Duce, (velut secundo Rheno in victorias navigantes, utramq; ripam, usq; in Batavos, Franciæ Regno vendicarent; vel ut Brisacum & Alsatia, quibus jam ea gens nimia videbatur, Germanis exonerarentur) in Palatinatum & Rhingoviam descenderunt.

Dãnum patiuntur.

Verum abiecit se illis statim Bavaricus miles, & assecutos in municipio Rudeshemiano graviter concidit

cidit; paucis vel in arcem evadentibus. Nec tamen ita penitus attriti sunt, quin Crucenacum, & Bingium in Rheni ripa opportuno loco positum, postea occuparint, & nido securiori salutem suam commēdarint. Adjecerunt, Oppenhemium & Altzenam, loca qua Vino, qua Cerere, referta; item Hattonis turrim murium fabulosa tyrannide celebrem. *Varia loca occupant.*

Sed instante dehinc Bavarico exercitu, Rhingovia relicta, Trevirensem diæcesin ingressi. S. Wendelini oppidum, & Cellam urbeculam, frustra tentaverunt. In Wetteravia majores progressus fecere, Fridtburgensi castro, & Fussæ rupis munitione, Geelhusio, Orbio, Budingio, occupatis. *Varia mel uno tur.*

Quin divisis copiis in tres phalanges, Limburghense territorium sub Ohimio Tribuno: Hadamariensem ac Dillenburgicam regionem, sub Comite Nassovio: Hattenbergensem ac Marpurgensem tractum, sub Tribuno Rosa invaserunt. *In tres partes dividitur.*

Novissime recollectis in unum viribus, ad Banerium, à Leopoldo Gui-

Iuncti ad Banerium d. antur. lielmo Archiduce Bohemia exactum, & in Thuringia, non procul ab Erfurdio periclitantem, ducti, Svecico se bello miscuere. Et Dux Longevillius, quasi sufficeret e Brisaco *Dux Longevillius in Galliam redit.* & Alsatia Germanos, & Tribunos generositate nimios, in meditullium Alemanniæ duxisse, & alterius illigasse votis, Hamburgum se recepit, & in Galliam ad felicis expedition. præmia portum Gratiæ navigavit.

Ingens terræ motus in Germania. Anno 1640 4. Apr. Et sic quidem hic annus desiit, & statim insequens, cum gravissimo utriusq; Germaniæ terræ motu cæpit; ut cum diu super terram homines, jam & terra sub hominibus commoveretur; indignata velut se innocentis sanguinis profusione in absurdam faciem adulterari. Sed intra malitiam humanæ mentis horror fuit, & post pacatam humum, nundum pacatis Superis, discordia perseveravit.

Galli Atrebatum obsident. Hollandi in Et Galli quidem cum Batavis, more solito, ab utraq; parte, Hispano-Belgium vellicabant. Illi Atrebatum, totius Arthesiæ metropolim, formidanda manu, & exercitu numerosissimo, aggrediebantur. Hi vero,

vero, impetum alibi simulantes, ascensis repente navibus, in litore Flandriæ subito emerserunt. *Flandriam ruunt.*

Sed toto jam fere triennio invida & adversa Batavis fortuna, nũc quoque molientes plurima, in conatu primo destituit. Cum enim Hulsto, inexpugnabili fere oppido, imminerent, ab uno latere fortalitium Nassovianum occupaverunt. Sed ab alio latere Moerfortium oppugnantes, à tergo Hispani invaserunt, & centenis aliquot trucidatis, ipsum Henricum Casimirum Nassoviæ Comitem, qui tum exercitui præerat, lethaliter vulneraverunt; qui & post modicum devixit. *Ad Hulstũ cæduntur 2. Iulij.*

Et ea clades, hoc anno, Batavos è Flandria pepulit, cum ultro fortalitium Nassovianum deserentes, commissis vento velis, in Hollandiam se reciperent. *Flandriam deserunt.*

Interim ad Atrebatum pertinacius agebatur. Quamvis enim Cardinalis Infans, Gallorum castra, universis viribus aggrederetur, cum damno tamen rejectus, in irritum oppugnavit. *Atrebatum Gallis deditur. 10. Aug.*

vit. Tandem enim præsidiarij, quorum è duobus millibus non octingenti supererant, animos submiserunt. Et hæc Urbs, quæ centum octo & quadraginta annis, Austriacæ potentiæ subfuerat, sola vi bellica humiliata, Francicum jugum accepit.

Cæsariani pleraq; ad Rhenū recuperant.

Non eadem Gallis in superiori Germania fortuna erat. Ibi enim Cæsariani, quæ præcedenti anno Vinarienses subjecerant, paulatim recuperaverunt, & à Brisaco usq; in Batavos, eliminatis Gallis, Rhenum Austriacæ Domui navigabilem fecere.

Romani Pontificis pacis studiū, sed irritum.

Inter bellicos tot tumultus, & lascivientis Bellonæ libidinem, Urbanus VIII. Romanus Pontifex, concordantium in fide animorum male natas invidia & ambitione discordias, non parum ingemuit. Et, cum jam ab aliquot annis Eminentissimum Cardinalem Gynettium, in ipsam usq; Germaniam, in Ubios ablegasset, nunc quoq;, missis in Hispaniam, Galliam, Germaniam, legatis, denuo sollicitavit. Et penes Austriacos quidem, quo minus acceptabile pacis

nomen

nomen Europæ induceretur, ut nunquam, & jam non ſtetit. Galli autem cum vicinores ſibi victoriæ, & non parum in Belgium & Germaniam profeciſſe viderentur, placidam, lenem, & modeſtam Concordiæ faciem abhorruere.

Itaq; cum novo anno, novo animo, nova bella. Et Galli quidem uno jam in Arthesia pede, Flandriam pariter ambiebant; & cum ante triennium, ad Audomarum, magna clade ſuccubuiſſent, jam vindictæ cupidi, non procul ab eo, Arien obſederunt. Galli Arien obſidēt.

At Hollandi, ob noviſſimam cladem, Flandriæ littora abhorrentes, in Sicambros verſi, trans Rhenum, Gennepium circumvallarunt. Eſt autem Gennepium, caſtellum ad Moſæ ripam, eo loci, qua ſe Nyrſa rivulus in prædictum flumen exonerat. Hoc Auſtriaci, cum fortalitium Schenkianum intercepiſſent, ob commoditatem loci, & quia ſitus quaſi inexpugnabile promittebat, arte quoq; muniverant. Jam vero Holl. in di Gennep ū.

Batavi, Ruremonda & Venlona ejecti, ut potiores ad Mosam essent, aut vicinores invisæ Geldriæ forent, obsidione cinxerunt.

Suessionensis, Bullionæus, Guisius a Galliæ Rege deficiūt

Interim autem dum illi in Flandria, hi in Clivia, expugnationibus incumbunt, alia parte, in ipsa Gallia, novum incendium surrexit. Quippe Suessionensis Comes, Regiæ familiæ Princeps, cum Guisio & Bullionæo Ducibus, in Richelium, & forte in Martem Gallicum obliquus, ad Austriacos defecit.

Rex Galliæ Chastillonium in illos Sedanū mittit.

Et aderat, sub titulo libertatis Gallicæ, commoditas in ipsam Galliam, in limitibus munitissimum Bullionæi oppidum Sedanum. Itaq; Rex Christianissimus, in prima flamma incendium restincturus, & ab ea parte tempestatis futuræ præmetuens, Chastillionæum cum exercitu, ut obsideret, Sedanum misit.

Lambo, ejus cum Gallis

Sed unde præsidium Gallia sperabat, inde fere ipsi Galliæ exitium emersit. Quippe jam Galli Principes, collecto milite, Cæsario Generali Lam-

Lambojo juncti, in Chastillionæum, unitis viribus movebant. Chastillionæus autem, qui in editiori tumulo munitisq; castris consederat, ut adventum hostium audivit, pro vallo aciem instruxit; animo, ut pleriq; referunt, non pugnandi, sed Retelium recedendi.

Ducibꝰ [illegible] ...illonæum.

Utut sit. Lambojus certe ita impatiens est, & cum unitis Ducibus in prælium festinavit. Magna, primo initio, sed fatalis, Suessionensis Comitis virtus fuit; qui fortiter & generose pugnans, adhuc cum vinceret, occubuit. Non segnius tamen, cum Bellionæo Duce, Lambojus egit, qui tandem etiam, post sesqui horæ prælium, tribus millibus trucidatis, de castris regijs triumphavit.

Chastillonius caditur. 6. Iulij.

Et hæc est illa nobilis ad Sedanum pugna, in qua, à sola parte Regia, Praslinius, Tentivillius, Sencius, & Brunevillius, Marchiones, & ut plurimum Generales: in qua Curcellius, Linnius, Loupius, & Nettencourtius Villarius, Barones & Tribuni; ut & Chalancius Comes & Marescallus, occubuerunt.

Cæsorū numerus.

Hæc

Hæc eſt illa celebris victoria, in qua Marchiones & Tribuni ſeptem, Centuriones & præfecti equitum ſexaginta octo, & ipſius Chaſtillionæi Mareſcalli filius, cum quinq; peditum equitumq; millibus, tormentis, ſignis equitum, & peditum vexillis omnibus, in manus venit.

Et captivorũ.

Deniq; hæc tanta victoria fuit, ut è quatuordecim peditum ... tum legionibus aliquot, vix ipſe Chaſtillionæus ſenior, qui duxerat, cum mille quingentis evaſerit.

Speraverat Cardinalis Infans fractos ingenti clade Gallos, relicta Flandria, Sedanum & periculum verſus properaturos. Sed, illis conſtantiſſime in obſidione loci perſeverantibus, Lambojum citis ad ſe legionibus feſtinare juſſit.

Cardinalis Infans Lambojum ad ſe vocat

At jam, ad Arien, in noviſſima Galli profecerant; adeoq; una eademq; die, qua Gennepium Hollandi, præfatum oppidum & Galli, deditionibus occupaverunt.

Arien & Gennepium deduntur. 27 Julij.

Cæterum Præfectus utriusq; loci maſcule

mascule se gessit, magis autem in Gennepiano castro Prestonius Tribunus; qui ea fortitudine, ijs artibus, & stratagematibus repugnavit, ut Hollandi, & ipse Princeps Fredericus Henricus Auraicus, virtutem & ingenium viri laudaverit; fassus, omnium, sub se, obsidionum gloriam, & neotericas Bellonæ inventiones, ingenio, arte, & Marte Prestonium adæquasse. *Prestoniū præfecti Gennepiani virtus.*

Interim è recenti victoria Lambojus ad Cardinalem venerat, & quamvis post munimentum deditum adesset, non tamen ideo sine fructu venit. Quippe Ludovicus Rex, quasi jam sufficeret Arien expugnasse, illico, cum Lambojus recederet, Sedanum movit. Tunc enim Cardinalis Infans, in expugnatum oppidum; & exercitum Gallorum simul versus, & hunc nondum demolitis castris & munitionibus exegit, & illud fædis adhuc cicatricibus apertum denuo obsidione clausit; immo, si famæ fides, denuo expugnavit. *Rex Galliæ in Balloniañ.* *Cardinalis Arien denuo obsidet.*

Et sic, tot millionibus profusis, in irritum, hoc anno, Gallia laboravit. *Bullionaeus*

Et

Regi Gallicæ ... iciatur

Et quamvis Bullionæus, Monetæ D..æ gratijs allectus, leniora spiret, bello tamen sufficiens perseverat Guisius. His ergo Taciti concludo.

Guisius perseverat.

Maneat quæso, duretq́; gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus Imperij fatis nihil jam fortuna præstare majus potest, quam hostium discordiam.

INDEX
FLORI GERMANICI
SIVE
SERIES BELLORUM IN GERMANIA GESTORUM

Introductio ad Bellum Bohemicum. 1.

Bellum Bohemicum. 5

Bellum Austriacum I. 21

Bellum Lusaticum. 23

Bellum Moravicum. 24

Compositio Silesiaca. 26

Bellum Palatinatus & cum unitis Principibus. 28

Bellum Transylvanicum I. 30

Bellum Mansfeldicum & Brunsvvicense I. 42

Bellum Mansfeldicum & Brunsvvicense II. 51

Bellum Transylvanicum II. 56

Bellum Mansfeldicum & Brunsvvicense III. 64

Coronatio Ferdinandi III. in Regem Hungariæ. 66

Bellum Danicum. 69

Bellum

Bellum Austriacum II. 105
Bellum Transylvanicum III. 125
Coronatio Ferdinandi III. Hungariæ Regis in Regem Bohemiæ. 133
Bellum Magdeburgense I. 135
Bellum Hollandicum. 137
Bellum Italicum. 144
Ferdinandi III. Hungariæ Bohemiæq; Regis matrimonium. [illegible]
Bellum Transylvanicum IV. 166
Bellum Magdeburgense II. 170
Confœderatio Lipsiensis. 189
Bellum Svecicum. 199
Coronatio Ferdinandi III. in Regem Romanorum, & obitus Ferdinandi II. 340
Bellum Francicum. 352

Nie panu radayszemi
tech Bogarca prawe
go
Przeszkonitę książke
darowacz rzeczetnepr
famwego

Moses

IHS

IHS

S O

Moicks

STEFANVS

rium adhnere ?

, ut jejunii difficultatem non sentiant

nare, qui jejunando sentiunt

jejunando ?